Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Paul Hebenstreit

D. Joannis Pauli Hebenstreiti Systema Theologicum ...

Pars Secunda : Locos Theologicos De Peccato In Genere De Peccato Originis & Peccatis Actualibus comprehendens Cum quatuor Indicibus

Francofurti [et] Lipsiæ: Sumptu Henrici Christ. Crökeri, MDCCVIII.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0001
DFG

Pr. 2032 p Fud
372 p Fud,
52b.12.

1 Kopfer

F.h- 3087 (1.)

~~Cl. XIV. 14.15.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1817789147/phys_0002
DFG

D. JOHANNIS PAULI
HEBENSTREITI

SYSTEMATIS THEOLOGICI

PARS SECUNDA,

Locos Theologicos

De

PECCATO IN GENERE
DE PECCATO ORIGINIS

&

PECCATIS ACTUALIBUS

comprehendens

Cum quatuor Indicibus.

Francofurti & Lipsiæ,

Sumptu HENRICI CHRIST. CRÖKERI,
Bibliopol. Jenens. privil. M. D. CC. VIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1817789147/phys_0006
DFG

PARTIS II
LOCUS I.
DE
PECCATO IN GENERE.

TH. I.

CUm revelata Theologia *analytico* ordine ſua dogmata tradat, atque adeò 1) Finem ſuum ultimum, 2) ſubjectum operationis (h.e. perſonam, in quam illum ſuum finem introducere nititur, & cui conſequendi ejusdem finis gratia certam praxin præſcribit, 3.) obtinendi iſtius finis principia & media conſideret; idcirco, poſtquam hactenus illum ipſum finem explicavimus, de ſubjecto operationis diſſerere ordimur.

TH. II.

Scilicet revelatæ Theologiæ *Subjectum operationis* eſt homo peccator.

Quæcunque enim ad conſequendam in

Deo beatitudinem Theologia revelata tradit, ea omnia, cùm post lapsum demum in remedium peccati hominibus concessa sit, in hominis peccatoris gratiam tradit, ut nimirum ipse à peccato liberatus æternæ beatitudinis aliquando reapse particeps evadat.

Th. III.

Cum autem homo peccator denominatur à *peccato* tanquam à forma, meritò hic, seu in altera Revelatæ Theologiæ parte, de *peccato* ex instituto tractamus.

Cum peccatum sit forma hominis peccatoris denominans, rectè peccatum de hominis, non *absolutè*, seu qvà homo est, h.e. ratione partium & proprietatum suarum essentialium, sed *sub corruptionis statu* spectati essentia esse dicitur; quemadmodùm & de essentia hominis, quà integer erat, & in statu integritatis spectatur, integritatem seu justitiam originalem fuisse rectè asserimus: Forma enim denominans est de essentia denominati e. g. eruditio de essentia hominis eruditi, theologia de essentia theologi &c. Vid: Synodalis nostra Dissertatio anno 1708. mense Februario habita *de peccati natura & adæquata mensura cap.* I. ubi non docemus, quod, licet peccatum sit substantia (h.e. essentia) hominis quà peccator est, non tamen absolutè loquendò sit substantia.

Th.

Th. IV.

Peccatum autem, quando forma hominis peccatoris denominans vocatur, *specialiter* & in genere morum pro eo, quod regulæ morum, seu regulæ rectitudinis ac honestatis difforme est, accipitur.

Peccatum si *generaliter* sumatur, omne id designat, quod à certa regula seu norma, cui debebat conformari, aberrat: Quò spectat sane e.g. peccatum *artis* (h.e. actio regulæ artis disconveniens) itemque peccatum *naturæ* seu monstrum.

Th. V.

Illud, de quo hic sermo est, (h.e. peccatum morale) vel *formaliter*, (h.e. abstractive seu præcisè pro forma, à qua actio vel qualitas peccaminosa habet, quod peccaminosa est,) vel *materialiter* (h.e. concretive) sumitur. Formaliter sumtum est ipsa peccaminositas seu moralis malitia, materialiter verò acceptum est res moraliter mala, e.g. actus vel habitus peccaminosus. Atque peccatum formaliter h.e. abstractivè sumtum non est aliquid *positivi*. Cæterum peccatum concretivè sumtum aliquid

positivum omninò involuere potest. Nam peccatum concretivè sumtum in conceptu suo includit non tantùm *formale* (h.e. id, à quo aliquid habet, quod est ac denominatur peccatum) verùm etiam *materiale* (h. e. subjectum aliquod, cui formale illud adhæret, quòdque unà cum isthoc formali peccatum concretive sumtum constituit, cujusmodi subjectum non est homo peccato substans, sed e. gr. qualitas quædam connata, aut habitus acquisitus, aut actus realis:) Atqui materiale illud, quod peccatum concretivè sumtum in conceptu suo involvit ac connotat, accuratè & propriè loquendo est aliquid positivi.

§. I. In peccato concretive sumto duo illa, quæ in thesi annotavimus, spectanda esse, jam olim docuit *B. Martinus Chemnitius in Loc. Theol. Part. 1. Loc. IV. c. V.* ubi monuit, *constituendam esse regulam, quâ adhibitâ multa obscura illustrentur & intricata expediantur: quod scilicet in peccato duo sint consideranda: 1.) subjectum, in quo haret peccatum* (cujusmodi subjectum est vel qualitas connata, vel habitus acquisitus, vel ipsa actio, quatenus præcisè est motus quidam &c.) *2. conturbatio seu confusio ordinis divini, id est, defectus seu privatio* (quæ hæret in qualita-

litate, vel actione &c.) *atque hic defectus propriè sit peccatum.*

§. 2. Peccatum *formaliter & abstractivè* laudatus ille Theologus ibidem considerat, quandò non tantùm scribit, *argumenta vera sententiæ de causa peccati oppositæ, non posse commodius applicari, quàm constituta definitione, quid propriè sit peccatum quoad fundamentum* (h. e. quænam sit forma, à qua actus vel habitus peccaminosi habent, quod sunt peccaminosi;) scilicet, *esse defectum seu privationem*; sed & paulo post inquit: *ut res necessariæ possint explicari, & ea, quæ diversa sunt* (sicut creatura Dei & peccatum) *rectè discerni, dicitur: Peccatum PROPRIE* (h. e. quoad formale suum & conceptum proprium) *esse non substantiam vel actionem, sed defectum vel privationem.* Nec verò *B. Johannes Gerhardus* abstractivam hancce peccati considerationem improbat, sed admittit potius, cum non solùm Tom. II. Loc. de peccato Orig. §. 88. p. m. 402. sed & in *Confessione Catbol.* Libr. II. Part. III. Art. XXI. cap. V. p. m. 1406. ubi pravam concupiscentiam ad peccatum originis referendam esse pronunciat, disertè ajat. *Interim non prohibemus, quin inter ipsam agendi vim* (h. e. habitualem pronitatem in objectum aliquod, *& inter vitium illius potentiæ subtiliter distinguatur sicut inter ipsam actionem & vitium actionis distinguitur.*

§. 3. Peccatum *concretivè* considera-

re nonnullis magni nominis Theologis idem est, quod peccatum *ethicè* considerare. Ethici enim, dum vitiosos habitus actusque considerant, eosque malos & peccata adpellitant, *formale a materiali* (h. e. ipsam vitiositatem & malitiam seu ἀπαξίαν ab actione & qualitate reali per actiones reales realiter producta.) Metaphysicorum more non abstrahunt, sed actus habitusque vitiosos concretivè, & prout materiale ac formale simul includuntur, accipiunt, atque de iis tanquam de habitibus & actionibus positivis, virtuti & actioni virtuosæ contrariè oppositis, loquuntur. Hinc *B. Henr. Höpfnerus*, cùm (ut *B. Hieronymus Kromayerus* in Theol. Positivo-Polem. Art. VIII. Th. II. p. m. 271. refert.) quæstionem de peccato vel privativo tantùm, vel positivo simul, in exercitiis alumnorum Electoralium decideret, eruditè dixit. *Habitus vitiosi concretè considerantur. Ethicus non abstractè, sed concretè ratione subjecti sui bonum & malum considerat, i. e. non tantum bonitatem & malitiam, sed bonas & malas actiones. Quæ in Ethicis sunt contraria, in Metaphysicis privative opponuntur.* Hoc ipsum observat B. Gerhardus, quando tùm Tom. II. Locorum, tùm in Confess. Cathol. l. c. scribit: *Scriptura, quando peccatum Originis describit non nuda tantum privatione, sed & per pravam concupiscentiam, imitatur modum loquendi Ethicis usitatum. Illi enim agnoscunt vitiosos habitus & actiones*

nes malas. Idem ille magnus Theologus in Isagoge Loc. Theolog. Disp. *XXIV.* cap. *III.* §. 10. illud *Bonaventuræ* dictum: *Vitium, quod contrariatur virtuti, non tantum dicit privationem, sed etiam dicit aliquem habitum substratum, quò aliquis redditur facilis ad perpetrandum illud peccati genus, & hoc modo* (nempe concretivè) *acceptum non omninò nihil est*; ita explicat: Vitium *in sensu Ethico acceptum non est mera privatio.* Spectat & huc, quod laudatus *Kromayerus* l. c. pag. 372. ait: Peccatum Eph. IV. 17. & c. V. 8. Rom. VIII, 9. Gen. VIII, 24. *non Metaphysice* Κατ' ἀκρίβειαν *& secundum naturam suam* (h. e. abstractive, & quoad suum formale præcisè) *sed Ethicè, quatenus suo subjecto concrescit, consideratur.*

§. 4. *Metaphysicam* autem τὸ formalis à materiali *abstractionem* in declaranda peccati natura magni usus esse. *B. Martinus Chemnitius* l. c. observat. Postquam enim monuit, *constituendam esse definitionem, quid propriè sit peccatum quoad fundamentum*, scilicet, *esse defectum seu privationem*, subjungit statim: *Videntur hæc esse spinosa, & Dialecticorum argutiis potius convenire, quam Theologiæ simplicitati: sed quia necessariò discernendæ sunt res à Deo conditæ à peccato, quod est conturbatio ordinis divini*, rectè & utiliter talia traduntur.

§. 5. Quando nos in thesi nostra asserimus, peccatum *formaliter* sumtum non esse positivum quid tunc notio formaliter

non significat totam rei rationem formalem, seu tantum rei conceptum quidditativum, sed idem est quod *abstractivè* seu formam præcisè, à qua aliquid denominatur, designat. Si enim notio formaliter totam rei formalem rationem denotat, atque adeò rem formaliter spectare idem est ac rem secundum totam suam formalem rationem, seu quoad totum suum conceptum quidditativum considerare, (prout *forma* in disciplinis practicis totam rei formalem rationem, seu totum quidditativum conceptum frequenter significat;) concedimus omninò, peccatum (scil. concretivè sumtum) formaliter esse aliquid positivi. Quemadmodum enim omne concretum in conceptu suo quidditativo tam *formale*, quam *materiale* importat: ita etiam peccatum concretivè sumtum non formale solùm, verum etiam materiale seu subjectum in sua formali ratione seu in suo conceptu quidditativo involvit. Atqui illud peccati materiale, quod est qualitas connata positiva, aut habitus acquisitus positivus, aut realis & positiva actio, utique est aliquid positivum. Pertinet huc, quod B. *Musæus* in der ausführlichen Erklärung pag. 254. monet: Wenn manche *Theologi* die *pravam concupiscentiam* zum *formale peccati originis referiren*, so reden sie *de peccato originis concretivè*, und nehmen alles/was *in quidditativo conceptu peccati, concretivè sumti* (wie die heil. Schrifft davon redet) begriffen wird.)

wo-

wohin freylich auch die prava concupiscentia gehöret. Atque hoc sensu: (si nempe labes congenita seu peccatum originis sumatur concretivè, & τὸ formale conceptum rei quiddidativum significet) verum omnino est, quod *B. Balthasar Meisnerus in Quæst. vexatis* Qv. IV. dicit: *Omnes orthodoxos Theologos in ipso formali labis congenitæ, præter privationem, adhuc aliquid aliud, & plus dicens innuensque agnoscere.* Eodem sensu laudatus *Meisnerus* rectè omninò docuisset, nec, si τὸ *formaliter* in hoc significatu usurpasset: gravi illà censurà, quâ ipsum excellens Helmstadiensium Philosophus, *Cornelius Martini* insectatus est, dignus fuisset, quando juvenis ad huc & Facultatis Philosophicæ Adjuncti munia in Wittenbergensi universitate sustinens, in *Philosophiæ Sobriæ* Parte I. anno 1611. editâ, sect. IV. p. m. 658. asseruit, *peccatum Originis FORMALITER sumtum non tantùm esse στέρησιν vel boni concessi amissionem, sed una ἕξιν vel mali contrarii successionem, ideoq; ens non merè privativum, sed magis positivum. quod non modo abstulerit originalem justitiam, sed contrà ponat & secum trahat mentis ignorantiam ac petulantiam, voluntatis injustitiam, appetitus contumaciam, omniumque virium extremam depravationem.* Nemo enim ex toto orthodoxorum Theologorum chero unquam negavit, vitiosas illas qualitates quæ amissæ imagini divinæ successerunt, ad *formale* (h. l. ad conceptum quiddita-

ditativum) peccati originalis *concretivè & materialiter* sumti pertinere. Certè notionem *formaliter* B. *Fridericus* Rappoltus, celeberrimus ille (ut à B. *Joh. Benedicto Carpzovio* in præfatione operibus ipsius Theologicis præfixâ meritò salutatur) Philosophus, Poëta, Orator, Polyhistor & Theologus, pro conceptu quidditativo accipit, quando in Som. poster. Disp. IIX. §. XV. erudite argumentatur: *Quicquid præter defectum simul vitiosam qualitatem, privationi nudæ oppositam & succedaneam ESSENTIALITER includit, & in subjecto ponit, illud FORMALITER est aliquid positivum. Atqui peccatum Originis præter defectum, simul qualitatem vitiosam privationi nudæ oppositam & succedaneam* [*nempe pravam concupiscentiam internè & totaliter malam*] *ESSENTIALITER includit & in subjecto* (*homine*) *ponit. E. Peccatum originis formaliter est aliquid positivum.* Uti autem adverbium metaphysicum *formaliter* frequenter totum rei conceptum quidditativum significat, ita etiam vox *formale* non rarò ejusmodi conceptum, ipsum etiam materiale sub se complectentem, designat. Quo sensu rectè omninò B. *Scherzerus* in *Breviar. elucid. Hülsem.* p. m. 273. scribit: Inter Theologos Augustanæ Conf. non potest, saltim non debet, esse dubium, quod FORMALE peccati secundum sensum Apologiæ, A. C. ad Art. II. nos igitur. pag. 55. non sit nuda privatio, sed præterea habitus conversivus ad malum.

§. 6.

§. 6. Nostram verò thesin & sententiam, quæ *peccatum formaliter & abstractivè sumtum*, seu ipsam malitiam moralem & ut ita loquar peccaminositatem *non esse aliquid positivum* statuit. Duobus potissimùm argumentis evincimus. Nimirum I. ita argumentamur: *Quicquid præcisè dicit rectitudinis inesse debitæ absentiam, illud est mera privatio, & per consequens nihil positivi. Atqui peccatum formaliter & abstractivè sumtum præcisè dicit rectitudinis inesse debitæ carentiam, E. peccatum formaliter & abstractivè sumtum est mera privatio, & per consequens nihil positivi.* Major propositio ex terminis patet. Confer. nostra *Philos. Prima p. 88.* Sic & minoris veritas negotio facili demonstratur. Nam (1.) sicut omne malum formaliter & abstractivè spectatum, seu malitia quævis, nihil aliud est, quam bonitatis adesse debitæ absentia, ita speciatim malitia moralis præcisè bonitatis moralis, h. e. rectitudinis & conformitatis cum lege inesse debitæ, carentiam & negationem dicit. Certè non tantùm antiquiorum philosophorum Græcorum, sed & pervetustorum Ecclesiæ Doctorum sententia fuit, ab orthodoxis Lutheranis Theologis approbata, mali quà mali, seu ipsius malitiæ, totam rationem formalem in boni absentia sitam esse. Quod ad Philosophos attinet *Plotinus*, *Psellus* & *Salustius*, quorum dicta in *Philosophia Prima* pag. 90. seq. allegavi, id manifestè docuerunt. Inter Patres verò Gregorius

us Nyssenus in Libro de *Anima & Resurrectione* subtiliter scribit. Ἡ κακία εἰ καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ἐν τῷ μὴ εἶναι τὸ εἶναι ἔχει· οὐ γὰρ ἄλλη τίς ἐστι καὶ κακίας γένεσις, εἰ μὴ τοῦ ὄντος στέρησις τὸ δὲ κυρίως ὂν ἡ τοῦ ἀγαθοῦ φύσις ἐστι, h.e. *Malitia, etiamsi dictu sit inopinatum, in non esse habet esse. Non enim alia malitiæ origo, quam entis privatio. Quod verò propriè est, illud est boni natura.* Speciatim de *Augustino* eruditè B. *Martinus Chemnitius* Loc. Theol. Part. I. Loc. V. c. V. p. m. 388. observat quod non solum regulam illam: *Malum non esse naturam seu rem positivam*, in multis voluminibus contra Manichæos tractet, & præcipuos nervos refutationis in ea constituat, verum etiam Libr. I. contr. Julian. hæc verba ex Ambrosio citet. *Quid est malitia nisi boni indigentia?* Ille ipse præsul tùm in Enchiridio ad Laur. c. XI. quærit; *Quid est aliud malum nisi privatio boni?* tum Libr. I c. Julian. c. III. inquit, *nec aliquid esse malum, nisi à bonitate defectum.* Quæ *Augustini* asserta B. *Calovius* l. c. pag. 27. *verissima* esse pronunciat. Eandem antiquorum Ecclesiæ Doctorum sententiam prædicat & amplectitur B. *Albertus Graverus*, quando in *Illustr. Quæst. Theol.* Disp. IX. Qu. II. non modo §. 12. *eos, qui Malum quandam boni debiti essentiam esse docent, rectè sentire ait*, sed & §. 13. *malum non esse quoddam Esse, aut formam, aut naturam quandam, sed nihil aliud, quàm absentiam quandam boni debiti & per consequens IN SE non esse quid positivum sed privativum*

vum contendit. (2.) Johannem Apostolum, quando Epist. I. c. III. v. 4. *peccatum* dicit *esse ἀνομίαν*, de peccato formaliter & abstractivè considerato loqui, rectè B. *Chemnitius* l. c. pag. 387. annotat: Jam verò *ἀνομία* vi particulæ privativæ *α* præcisè *τῆς ἐννομίας ἀπουσίαν*, h. e, *conformitatis cum lege*, seu perfectionis secundùm legem inesse vel adesse debitæ, *absentiam* importat. Atque nostram minorem propositionem ipse B. *Calovius* admittit, quippe qui l. c. non solùm pag. 15. disertè docet, peccati FORMALE, ipsius *subjecto* seu *materiali* (*quod sit actus vel habitus*) *contradistinctum, esse ipsam ἀνομίαν*, sed & pag. 47. *τὴν ἀνομίαν positivum* quid esse inficiatur.

§. 7. De cœtero illa, quam hucusque propugnavimus, de *peccati formali* sententia vel eò nomine non statim explodenda erit, quòd non tantùm à B. *Joh. Musæo* in der ausführlichen Erklärung p. 231. seqq. B. *Bechmanni* in Theol. Polem. Controv. II. B. *Baiero* in Compend. Theol. Posit. Part. II. cap. I. §. II. Beatis meis in Academia Jenensi Præceptoribus & Antecessoribus, sed & ab antiquioribus universitatis illius Doctoribus Theologis B. *Johanne Gerhardo* in Confess. Catholica Libr. II. part. III. art. XXI. c. V. p. m. 1406. B. *Grauero* in Præl. in Aug. Conf. Art. II. p. m. 48. 49. seq. ut in academia Lipsiensi à B. *Hieronymo Kromayero* in Theolog. Posit. Polem. Artic. VIII. de Peccat. p. m. 372.

seqq. nec non in Wittebergensi universitate ab ipso B. *Calovio* in System. Loc. Theol. Tom. V. c. II. p. m. 47. imò extra academias istas à B. *Martino Chemnitio* pag. 389. perspicuè fuerit asserta.

Th. VI.

Ut natura & ratio peccati absolutè sic dicti (seu peccati moralis) plenius intelligatur, observandum porrò est, *ad esse cujusque peccati propriè dicti* minimè requiri, ut ei, qui hîc & nunc, proximèque peccator inde denominatur, *propriè sit voluntarium* (h. e. ab ejus libera voluntate, quà tali, effectivè dependeat.)

§. 1. Nam [*a*] Paulus jam renatus peccabat etiam invitus & non volens *Rom.* VIII, 15. seqq. hoc est, [ut ipse *Guilielmus Estius*, hypothesin, quòd omne peccatum peccatori debeat esse propriè voluntarium, aliàs fovens, comment. ad loc. cit. explicat] *instar mancipii nolens voluntate malum aversante, atque in contrarium nitente.* Videlicet peccata ejusmodi involuntaria, de quibus ut sibi adhærentibus conquestus est Paulus, & quæ hodiè renatis quoque, salvô renascentiæ statu, contingunt, sunt inordinati concupiscentiæ motus, qui subitò oboriuntur, & rationis judicium, voluntatisque consensum antevertunt.

§. 2.

§. 2. [β] Licet peccatum originis sit propriè dictum peccatum, nobis tamen, qui labe istâ sumus contaminati, indeque peccatores denominamur, propriè non est voluntarium, sed necessarium, necessitate scilicet, quæ statum nostrum corruptum subsequitur, contractum. Certè ut nasci nobis, qui nascimur, non est voluntarium, ita nec cum hac vel illa labe nasci. Nec verò dici potest, quod singuli infantes, tanquam posteri Adami, cum originali corruptione nasci velint. Confer. B. *Meisneri* Anthrop. Decad. I. Disp. III. quæst. 2.

§. 3. Hic tamen annotandum probè est, peccatum originis, licet nobis labe hac contaminatis propriè non sit voluntarium, non tamen omni modo esse non-voluntarium, sed *in sua radice*, seu respectu protoplastorum, tanquam causæ efficientis, voluntarium esse, cùm à primorum parentum (qui legis divinæ transgressionem directè, hujus autem transgressionis consequens, nempe justitiæ originalis carentiam, naturæque humanæ corruptionem seu labem originalem, indirectè voluerunt) liberrima voluntate effectivè processerit. Id quod S. *Augustinus* subinnuit, quando Libr. II. de *Nupt.* & *Concup.* c. 28. peccatum originis adpellat *voluntarium voluntate primi parentis.* Hoc ipsum significat *Bonaventura*, dum in 2. dist. I. qv. 1. peccatum originis voluntarium esse ait, *non voluntate ejus, in quo est, sed à quo est.* Quocirca,

quando *Augustinus* in Libr. de *Verit. Rel.* c. 14. asserit, *peccatum usque adeò voluntarium esse malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*, hæc ejus mens fuisse videtur: *Nihil esse peccatum, nisi sit voluntarium vel respectu ejus, quem hic & nunc, proximeq; denominat peccatorem, vel respectu suæ radicis*, seu respectu ejus, à quo exordium ultimò sumsit. Quo sanè sensu si assertum illud accipiatur, non video equidem, quid in eo desiderari possit. Certè exindè nulla ratione sequitur, quòd peccatum originis, quia non in nobis, sed in Adamo tantùm propriè voluntarium est, non etiam in nobis, sed in Adamo tantùm fuerit peccatum. Nam ad peccatum propriè dictum minimè requiritur, ut respectu ejus, qui inde denominatur peccator, propriè sit voluntarium. Cæterùm B. *Chemnitius* Part. I. Exam. Conc. Trid. & B. *Meisnerus* Anthropol. Dec. I. Disp. III. Qv. 2. §. 7. rectè judicarunt, ab *Augustino* argutam magis, quàm accuratam, responsionem Pelagianis datam esse, quando ad illud eorum argumentum. *Omne peccatum est voluntarium; Peccatum originis in infantibus non est voluntarium: Ergò peccatum originis in infantibus non est peccatum, & per consequens non datur peccatum originis*; ita respondit, ut assumtum negaret, & peccatum quoque originis, prout naturaliter propagatur, *voluntarium* esse perhiberet, *non voluntate propriâ, sed alienâ*. Nec enim Pelagianorum argumentum loquebatur de

de eo, quod quocunq; modo ac respectu dicitur voluntarium, sed de illo voluntario, quod est effectus, ab ejus, cui hic & nunc, proximeque tribuitur, libera voluntate procedens, ut adeò argumenti sensus esset, *omne peccatum esse peccanti, seu ei, quem denominat peccatorem, voluntarium, peccatum autem originis in infantibus non esse voluntarium infantibus.* Quamobrem rectius respondisset *Augustinus*, si eam *Pelagianorum* hypothesin, *omne peccatum esse voluntarium*, simpliciter negâsset. Sapienter & eruditè B. *Gerhardus* in Isag. Loc. Theol. Disp. XXIII. cap. IV. scribit: *Peccatum originis voluntarium dici posse statuit Augustinus lib. II. de nupt. & concup. cap. 28. etiam effectivè, non respectu posterorum, in quos propagatur, sed respectu primi parentis, à quo originem trahit, id est, non propria, sed aliena voluntate, non voluntate ejus, in quo est, sed voluntate ejus, â quo est. Sed præstat simpliciter negare, omne peccatum esse voluntarium, quàm talia malagmata quærere.*

§. 4. Nostra igitur thesis reluctatur [1] antiquis illis hæreticis, *Pelagianis*, qui [uti de ipsis *Augustinus* L. de Natur. & Grat. cap. XXX. & in opere imperfect. c. Julian. L. I. fol. 70. 176, 249. L. III. c. Julian. c. V. & *Cornelius Jansenius*, Iprensis episcopus, Tom. II. sui Augustini fol. 205. seqq. 300. seqq. 471. seqq. referunt] omne peccatum peccanti voluntarium esse, nihilque omninò, quod peccanti non-voluntarium sit, propriè loquendò peccatum esse contende-

tenderunt; [2] *Pontificii*, qui [ut ex *Bellarm.* Libr. I. de amiss. Grat. c. I. & Libr. II. c. VII. constat] eandem cum Pelagianis tibiam hîc inflant, [3] *Socino*, qui in Præl. Theol. c. IV. fol. 10. 11. docet, *ad culpam constituendam propriam voluntatem ejus, qui in culpa futurus est, omninò requiri* [atque adeò omne peccatum peccanti debere esse propriè voluntarium.]

Th. VII.

Cæterum ad esse cujusque peccati propriè dicti requiritur ἀνομία: Quæ ubicunque datur, adest peccatum propriè dictum, sive id, quod dicitur peccatum, sit ei, cui proximè tribuitur, voluntarium, sive non-voluntarium.

§. 1. Ad cujusque peccati esse requiri ἀνομίαν, h. e. *legalitatis*, seu perfectionis secundùm legem inesse vel adesse debitæ *absentiam*, manifestissimè docet *Johannes*, cùm 1. Epistolâ cap. III. v. 4. realem peccati propriè dicti definitionem voce ἀνομίας absolvit. Definitio enim definitie esse [seu essentiam] declarat.

§. 2. Adesse peccatum, ubicunque datur ἀνομία, vel exinde liquet, quod ἀνομία totam peccati [formaliter & abstractivè sumti] definitionem constituit. Cuicunque enim competit definitio, ei competit definitum. Hinc Paulus *Gal.* III. 10. τὸ *non permanere in le-*

ge

ge absolutè & simpliciter peccatum maledictionem merens adpellitat.

Th. VIII.

Ἀνομία igitur ad peccati esse requiritur tanquam ejus *formale*, atque adeo cum peccato reciprocatur.

§. 1. Ut de theseos hujus veritate nobis liquidiùs constet, vox ἀνομίας plenius paulò hîc exponenda. Videlicet nomen illud vi particulæ στερητικῆς [seu *privativæ*] α aliquam στέρησιν seu privationem [h. e. formæ alicujus positivæ ex subjecto capaci absentiam] designat: Ac vocabulo νόμος seu legis [à quo simul derivatur] formam illam positivam, quâ capax aliquod subjectum privat, [nempe conformitatem cum lege, vel perfectionem adesse debitam secundùm legem,] significat. Illud autem subjectum, cui forma ista adesse debebat, quandoque est *actio positiva libera* [ut quoad peccata actualia commissionis] aliquando *actionis realis ac positivæ omissio* [ut ratione peccatorum actualium omissionis] interdum *habitus* seu qualitas actione liberâ, crebrò iteratâ acquisita [ut quoad vitia habitualia,] quandoque *qualitas connata* [ut quoad peccatum originis.] Quare *Thomas* adæquatam peccati definitionem haud exstruit, quando *part.* I. *quæst.* 48. art. 5. 6. dicit, malum culpæ (seu peccatum) esse *ca-*

rentiam perfectionis debitæ secundùm actionem liberam. Ea enim descriptio nec peccato actuali omissionis, nec habitui vitioso, nec peccato originis convenit. Neque verò illam à *D. Petro Musæo* in Instit. Metaph. c. 36. §. 32. efformatam definitionem approbamus, quâ malum culpæ [seu peccatum] describitur, quòd sit *carentia perfectionis debitæ secundùm liberam actionem aut qualitatem actione liberâ crebrò iterata acquisitam.* Nam nec ista descriptio in peccatum originis quadrat.

§. 2. His præmissis, liquidiùs constat, quod ἀνομία sit *peccati formale.* Sane enim, si peccatum sumitur abstractivè, ἀνομία est ejus formale, quatenus τὸ formale denotat illud, per quod [sive ut conceptum primum, sive ut conceptum necessarium secundum] res est id, quod est, & sine quo res non potest esse id, quod est. Quod si verò peccatum concretivè sumatur, certè ἀνομία est ejus formale, quatenus τὸ formale dicit id, quod rei materiale ad esse talis rei determinat, aut quatenus τὸ formale denotat formam, à qua aliquid aliquam habet appellationem. Namque ἡ ἀνομία materiale peccati concretivè sumti, nempe actionem, vel habitum, vel qualitatem aliquam connatam ad esse peccati determinat, atque adeò forma quoque est, à qua actio aut qualitas peccaminosa habet, quod est & dicitur peccatum. Hoc ipsum haud obscurè tradit B. *Gerhardus*, cùm

cùm in Isag. Loc. Theol. Disp. XXIII. c. III. inquit: *Ἄνομον concretivum est, ideò subjectum ἀνομίας connotat, quod non καθ' αὑτὸ & per se, sed καθ' ἄλλο est ἄνομον· ἀνομία verò abstractivum est, ideò ipsum formale, propter quod subjectum dicitur ἄνομον, exprimit.*

§. 3. Quòd si igitur *ἡ ἀνομία* est *peccati formale*, hoc est, illud, per quod peccatum abstractivè sumtum est id, quod est; Si quoque est, peccati concretivè accepti formale, h. e. peccati concretivè formale, h. e. peccati concretivè accepti materiale ad esse peccati determinet, sanè *cum peccato reciprocatur*, ut rectè dicam: *Omne peccatum abstractivè sumtum est ἀνομία, & omnis ἀνομία est peccatum abstractivè sumtum*; *Omne peccatum concretivè sumtum est ἄνομον* [h. e. legi disconveniens;] *& omne ἄνομον* [h. e. quicquid legi disconveniens est, sive sit actus, sive sit habitus, sive sit aliquid acquisitum, sive connatum] *est peccatum concretivè sumtum.* Formale enim, ita acceptum, cum eo, cujus est formale, reciprocatur, cum posita re ponatur formale, & posito formali res quoque ponatur. Usque adeò igitur *ἀνομία* cum peccato reciprocatur, ut etiam peccatum originis sit *ἀνομία*. Quamvis enim tenellis infantibus, quippe qui ex præmeditata deliberatione & usu rationis agere non possunt, eoque distantiam boni ac mali ignorare *Deut.* I, 39. dicuntur, lex ita non sit posita, ut circa illam actus

liberos aut exerceant, aut omittant, adhuc tamen in iis deprehenditur aliquid, quod divinæ legi adversatur. Nam vi legis divinæ, omnem concupiscentiam pravam, cùm pro actu primo, tùm pro actu secundo sumtam, omnibus ac singulis hominibus abesse formaliter jubentis, eoquè omnimodam omnium facultatum animæ integritatem naturalem, h. e. originalem justitiam, in illis exposcentis, ex infantibus prava concupiscentia abesse, & contra iisdem originalis justitia inesse debebat. Illi ergò divinæ legi tàm congenita concupiscentia prava, quàm connata justitiæ originalis carentia contrariatur, & sic est ἀνομία.

§. 4. Nostra autem thesis, quatenus ἀνομίαν cum peccato reciprocari docet, itidem sese opponit *Bellarmino*, qui Libr. V. de *amiss. Grat.* cap. XIV. contendit, non omnem ἀνομίαν esse peccatum propriè dictum, h. e. peccatum morale, cùm omne naturæ & artis vitium sit ἀνομία, nec tamen peccatum morale. *Bellarminus* sanè, dum non omnem ἀνομίαν peccatum propriè dictum esse asserit, sibimet ipsi turpiter contradicit. Ipse enim Libr. II. de *amiss. Grat.* c. VIII. profitetur, ἁμαρτίαν accuratè per ἀνομίαν definiri: At verò si ἁμαρτία [h.e. peccatum] accuratè per ἀνομίαν definitur, omne peccatum ἀνομίαν, & omnem ἀνομίαν peccatum esse oportet, cùm omnem accuratam definitionem reciprocam prædicationem esse Logicæ

gicæ tirones norint. Est & absurdissimum assertum, quando *Bellarminus* ait, omne naturæ & artis vitium esse ἀνομίαν (de qua Scil. Scriptura Sacra loquitur.) Licet enim naturæ vitium (e. gr. monstrum,) & artis vitium (e. gr. vitiosum carmen) sit excessus quidam à regula, certum operationis modum præscribente, non tamen est ἀνομία, quam literæ Sacræ ita vocant. Nam (α) ἀνομία hæc est excessus à regula moralitatis ac honestatis; talis modi verò excessum naturæ artisque vitium formaliter non importat. (β) Christus ab omni ἀνομίᾳ nos redemisse Tit. II. 14. perhibetur: At blasphemum ferè est, si quis dixerit, Christum propter sutorum sartorumque vitia, ut videlicet illi calceos congruos efficiant, hi vestes aptas contexant, mortem acerbissimam oppetiisse.

Th. IX.

Cùm peccatum morale formaliter & in sua natura aliquam à *regula morum aberrationem* importat, ideò quærenda & expendenda nunc est *primaria*, *universalis*, & *adæquata* morum regula. Talismodi verò norma non est alia, quam *Lex Dei æterna*.

§. 1. Lex Dei æterna est primaria morum regula, sive normam primariam dicas eam, quæ ad aliam priorem normam exigi & examinari nequit,

nequit, normam verò secundariam sumas pro norma normata, h. e. pro ea norma, quæ ad priorem aliam exigi ac examinari potest; sive normam primariam voces, quæ normandi vim ab alia priori norma non habet, omnibus autem legibus aliis, rectis quidem & congruis, vim obligandi ultimò dedit, normam autem secundariam, quæ in ratione ac vi normandi ab alia priori norma dependet. Nam (1) hoc ipso, quòd sit æterna Deoque æterno coæva, est lex & regula omnium prima, adeoque nec ad aliam priorem normam exigi potest, nec à priori alia suam normandi & obligandi vim accepit. (2) Omnes aliæ, quæ in mundo dantur, leges ab illo divino in lege Dei æterna comprehenso præcepto; *Quacunque superior aliquis* (& quidem, si est homo, *salva divina lege*) *suis subditis præscribit, ea sunt facienda, quæque his prohibet, ea sunt fugienda*, ita suam obligandi normandique vim nanciscuntur, ut, quæ subditorum illorum actiones legi positivæ à superiore latæ conformes sunt, ideò, velut propter rationem ultimam, bonæ sint ac rectæ, quia legi Dei æternæ consentaneæ sunt, quæque subditorum actiones legi positivæ à superiore sancitæ repugnant, idcircò, tanquam propter rationem ultimam, malæ sint ac turpes, quia simul legi Dei æternæ adversantur.

§. 2. Quod lex Dei æterna sit *universalis* morum regula, h, e. regula omnibus omninò homi-

hominibus quocunque tempore ac loco agenda & omittenda præscribens, eosque obligans, patebit ex inferiùs dicendis, ubi legis illius immutabilitatem & obligationem demonstrabimus.

§. 3. Legem illam esse *adæquatam* morum regulam (h. e. normam, quæ omnes hominum actus, rectos & pravos, commensurat, & à qua omne peccatum aberrat), ex eo liquet, quòd non tantùm de omni eo, quod creaturæ rationali ut tali convenit, aut disconvenit, disponat, sed & ab ipsa omne illud peccatum, quod immediatè contra legem aliquam positivam committitur, ob illud in ipsa comprehensum præceptum: *Quæcunque superior aliquis suis subditis præscribit, ea sunt facienda, quæque his prohibet, ea sunt fugienda*, ultimò aberret. Certè cùm lex Dei æterna omne id, quod naturæ rationali ut tali disconvenit, prohibeat, ipsum quoque connatam concupiscentiam pravam, seu *peccatum originis* concretivè sumtum, ex homine abesse jubet, atque adeò peccatum originis concretivè acceptum quandam à lege Dei æterna declinationem importat: Ejusmodi enim concupiscentia naturæ rationali, ut tali, necessariò disconvenit. Quam disconvenientiam ipse *Aristoteles*, gentilis Philosophus, agnoscit, quando Libr. III. Nicom. cap. ult. disertè scribit, *concupiscentiam esse malum συγγενὲς* (h. e. congenitum,) *quod, nisi cohibeatur, immensum in*

modum

modum augeatur, ut ipsam rationem de solio suo deturbet. Namq; malum, quod moralis considerationis est, intelligit: Ast omne istiusmodi malum naturæ rationali, quà talis est, disconvenit. Et quod ipsam rationem de throno suo dejicit, id naturæ rationali ut rationali omnino adversatur. Idem de congenita nobis concupiscentia sensit *Pythagoras*, qui in *aureo carmine* commemorat *malum σύμφυτον* (h.e. connatum,) *quod tectè ladat.* Quid? quod peccatum originis *abstractivè* & ratione conceptus sui specifici consideratum (h.e. connata justitiæ originalis carentia) legi Dei æternæ contrariatur. Quicquid enim creaturæ rationali, quà talis est, disconvenit, illud legi Dei æternæ repugnat: Ast justitiæ originalis carentia creaturæ rationali ut rationali vel maximè disconvenit, cùm originalis justitia, utpote in viribus rectè agendi, naturæque rationali convenienter operandi consistens, creaturæ rationali ad actus suos connaturales rectè exercendos de lege naturæ debeatur.

§. 4. Cum igitur lex Dei æterna sit norma omnibus peccatis adæquata, veteres Ecclesiæ Doctores peccatum in ordine ad legem Dei æternam definiunt. *Augustino* enim L. XXII. contra Faustum c. 27. peccatum est *factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam.* Et *Ambrosius* L. de Parad. c. 8. *Quid*, inquit, *est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cœlestium inobedientia præce-*

præceptorum. Legem autem divinam de lege Dei æterna ibidem prolixè explicat.

Th. X.

Ut autem doctrina de *lege Dei æterna* distinctius & accuratiùs proponatur, observamus (1) ejus formam (2) fundamentum (3) Synonymiam (4) subjectum (5) objectum (6) essentialem proprietatem peculiarem, nempe immutabilitatem, (7) effectum singularem, nimirum obligationem, (8) promulgationem,

§. 1. Quod ad legis Dei æternæ *formam* seu *rationem formalem* attinet, Jesuita *Becanus*, Thomam suum I. II. quæst. 93. art. I. ita docentem secutus, legem illam describit, quod sit *ratio sapientiæ divinæ secundùm quam dirigat omnium creaturarum motus & actiones in suos fines.* Sed hæc descriptio generalior est, cùm ratio gubernandi universum, omniumque creaturarum motus & actiones in fines suos dirigendi planè non habeat naturâ legis, nisi in qvantum spectat ad mores, seu ad rationem vivendi, quæ creaturam rationalem decet aut dedecet. Rectiùs igitur legis Dei æternæ forma declaratur, si dicas, legem illam formaliter [h. e. in sua formali ratione esse *æternum intellectûs divini judicium practicum de his, quæ natura* [seu substantiæ] *rationali*

tionali, quà talis est, necessariò conveniunt aut disconveniunt, conjunctum cum voluntate Dei æterna & necessaria, ut ea fiant vel non fiant.

§. 2. Legis illius *fundamentum* est essentialis, infinita, æterna & immutabilis sapientia, bonitas, justitia & sanctitas Dei. Quippe attributorum illorum vi Deus non potest non semper & ab æterno judicare, ea, quæ naturæ rationali, quà talis est, necessariò conveniunt, fieri, & quæ naturæ rationali, ut talis est, disconveniunt, non fieri debere; prout & eorundem attributorum vi non potest non ab æterno & in æternum velle, ut, quæ naturæ rationali ut tali necessariò conveniunt, fiant, &, quæ naturæ rationali ut tali necessariò disconveniunt, non fiant.

§. 3. Quod ad *Synonymiam* attinet, Lex Dei æterna adpellatur quoque *Lex naturæ* (Deo inexistens,) quatenus versatur circa actiones, quæ *naturæ* rationali ut tali per se ac necessariò conveniunt, atque adeò per se ac sua *natura* honestæ sunt, aut turpes. Dicitur & lex *moralis* naturalis, quatenus spectat ad *mores*, h. e. rationem vivendi, quæ naturam rationalem decet aut dedecet.

§. 4. *Subjectum* legis Dei æternæ [h. e. id, in quo lex ista est formaliter seu ratione suæ entitatis] est ipse Deus, neutiquam verò homo. Illa enim lex formaliter nil aliud importat, quam

quàm duplicem actum Dei immanentem, unum *intellectus*, [nempe judicium Dei practicum de his, quæ naturæ rationali, quà talis est, per se ac necessariò conveniunt aut disconveniunt,) alterum *voluntatis* (nimirum actionem volendi, quà Deus vult, ut ea fiant vel non fiant]: Jam verò actus Dei immanens eo ipso, quod est ac verè dicitur immanens, intrinsecè ac formaliter est in Deo, neutiquam verò extra Deum in ulla creatura. Quare minus accuratè B. *Baierus* loquitur, quando in *Compend. Theol. Posit.* Part. II. cap. I. ait, *perfectionibus, quæ vi divinæ imaginis antè acceptæ erant, per lapsum amissis ipsam legem Dei æternam valde obliteratam fuisse.* Nam Lex Dei æterna formaliter est in Deo: Quicquid verò in Deo est ac manet formaliter, id in se nullo casu obliterari potest. Unde distingvendum potius erat inter ipsam Dei æternam Legem, & inter Legis illius notitiam ac participationem in homine existentem. Nimirum non ipsa Dei æterna lex, sed hujus legis notitia & participatio homini inexistens per lapsum fuit vehementer obliterata.

§. 5. Etsi verò lex Dei æterna formaliter non sit in homine, tamen ad hominem, ejusque actiones morales terminatur, cùm hominis vitam & ejus actiones attineat, hominiqve certas actiones dictitet, certas interdicat. Refulget quoque in homine quædam legis Dei æternæ participatio & expressa imago, quæ est Lex

naturæ mentibus hominum implantata. Sicut enim Lex Dei æterna est judicium intellectus divini practicum de actibus intrinsecè suaque natura moralibus, ita & naturalis cordibus hominum inscripta Lex talismodi humani intellectus dictamen formaliter importat. Nisi igitur dicere velimus, casu quodam factum esse, quod lex naturæ, in homine formaliter existens, similis sit legi Dei æternæ, fatendum erit, à Deo Legem suam æternam, causam velut exemplarem, intuente legem naturalem in homine fuisse productam, adeoque, cum imago, concretivè sumta, sit res, quæ alteri cuidam rei, à qua deducta est ac derivata, in aliqua ratione propria similis est atque conformis, legem naturalem homini inexistentem esse legis Dei æternæ *expressam imaginem*. Scitè *Cicero* Libr. II. de *Legib.* inquit, *omnem legem creaturæ rationali datam derivari à lege Dei, quæ nata est cum Deo.* Cui consentit *Augustinus*, cum Libr. II. de Libr. Arbitr. c. VI. *Nihil est*, scribit, *in temporali lege justum, quod à lege æterna non derivetur.*

§. 6. Ex hactenus dictis manifestum evadit, à B. *Scherzero* in System. Theol. Loc. IX. §. 9. aliisque Theologis Legem Dei æternam rectè vocari Legem naturæ *Archetypam*, legem naturæ verò cordibus hominum insitam aptè nuncupari Legem naturæ *Ectypam*. Uti enim ἀρχέτυπον est exemplar effectus ad sui imitationem producti primigenium, & sic cùm exemplar,

plar, quod effectus aliquis ex intentione agentis imitatur, tùm dependentiæ ac originis ab alia exemplari causa negationem importat: ita τὸ ἔκτυπον est effectus ad alterius tanquam causæ exemplaris imitationem productus. Atqui naturæ legem in homine formaliter existentem, ad imitationem Legis Dei æternæ, velut causæ cujusdam exemplaris, efformatam esse, hactenus ostensum est, Legemque Dei *æternum* ad alterius legis, tanquam causæ alicujus exemplaris, imitationem haud esse productam, per se patet.

§. 7. Cæterùm si in significatu non adeò inusitato subjectum legis notet eam substantiam, cui lex promulgata est, quamque obligat, non homo tantùm, sed quævis rationalis creatura legis Dei æternæ subjectum est.

§. 8. *Objectum* seu materia Legis Dei æternæ sunt ea, quæ naturæ rationali, quà talis est, necessariò conveniunt aut disconveniunt, adeoque etiam actiones per se, suâ naturâ, ex necessitate absoluta & antecedenter ad voluntatem Dei morales.

§. 9. Per actiones *suâ naturâ, per se, ex absoluta neeessitate, & antecedenter ad voluntatem Dei morales* intelligimus actus, quorum honestas aut turpitudo cum ipsorum natura & intrinseca ratione perpetuam, necessariamque & immutabilem connexionem habet, h. e. actus

ita comparatos, ut quovis tempore, & in quocunque loco sint honesti aut turpes, ac si ab æterno fuissent, ab æterno quoq; honesti aut turpes fuissent, & ne quidem per absolutam Dei potentiam sine ea, quam nunc habent, moralitate esse possint, nec moralitatem suam *primùm* ex voluntate ac decreto Dei hos vel illos actus præcipientis aut prohibentis habeant, sed jam per se & propter suam naturam debiti sint aut turpes.

§. 10. Hôc igitur sensu actiones illæ, quæ naturæ rationali, ut tali necessariò conveniunt aut disconveniunt, antecedenter ad voluntatem Dei morales esse dicuntur, quòd (1) non demum facti sint debiti aut illiciti, postquam Deus eos ita esse voluit, sed quòd jam per se & propter suam naturam debiti sint aut turpes, & quod (2) postquam existunt & quà existunt, necessariò boni aut mali existent, quodque tandem (3) ipsorum intrinseca moralitas sit ratio, cur à Deo sint præcepti aut vetiti, atq; adeò ab intellectu divino prævisa in puncto rationis sit prior voluntate Dei præcipiente aut prohibente, ejusque placitô. Minimè verò illi hominum actus antecedenter ad voluntatem Dei morales eo sensu dicantur, quòd citra omnem præviam voluntatem divinam & decretum Dei antecedens reverà existant. Sanè enim si Deus non decrevisset hominem condere, nulli planè actus humani morales realiter existerent. Quippe si Deus homines procrea-

re

re non constituisset suâ voluntate, nullus actus humanus existeret; si verò nullus actus humanus esset, profectò nec ullus actus humanus moralis reapsè foret: quemadmodum, si Deus ignem condere non decrevisset, nullus ignis calidus existeret, etsi nunc, postquàm ignis productus est atque existit, in se & vi suæ naturæ ac necessariò calidus existat, nec ab ipso, quà existente, calor per absolutam Dei potentiam aut ullum divinum decretum avelli queat.

§. 11. Hìc, ubi actus per se, suaque natura & ex absoluta necessitate morales statuimus, omni animorum contentione reluctamur omnibus iis, qui per se ac natura sua nihil esse turpe contendunt, ac quorumcunque actuum, moralitatem non nisi liberrimo Dei beneplacito ejusque impositioni acceptam referunt, omnesque actus moraliter bonos ideò tantùm bonos esse dicunt, quòd Deus ita voluerit, non autem, qvod in se jam boni sint, ac omnes actus illicitos eò saltem illicitos & malos esse docent, quòd Deus suo decreto eos prohibuerit. Quam nobis oppositam sententiam Johannes *Coccejus* in Summ. Theol. c. XXIV. ab *Archelao*, qui teste *Diogene Laërtio* τὸ δίκαιον dixit καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ εἶναι (h. e. *justum & turpe non naturâ, sed lege esse,*) & à suffragante *Theodoro* (qui vulgò ἄθεος appellatus fuit) atquè *Aristippo* deducit. Eandem illam opinionem tuentur ex Pontificiis Doctoribus *Petrus* ab *Ali-*

aco, Cardinalis Cameracensis, in princip. ad 1. Sent. Lit. E. *Durandus* & alii, quorum *Johannes Azorius* Libr. III. Instit. Moral. cap. XXIV. meminit, & nonnulli, quos B. *Dannhauerus* in Hodom. fol. 1097. recenset, Calviniani, inprimis *Johannes Szydlovius* in vindiciis quæstionum aliquot difficilium & controversarum in Theologia c. IIX. Iis, quos impugnamus hîc, novissimè accessit (quantum quidem ad sententiam de omnium actuum humanorum intrinsecâ indifferentiâ attinet) Dn. D. *Johannes Franciscus Buddeus*, Professor Jenensis, qui in Philos. Pract. cap. IV. Sect. I. non solùm §. 8. *objectum legis naturalis* scribit *esse actiones hominum hactenus quidem indifferentes, sed ita tamen comparatos, ut necessariò à Deo debuerint præcipi aut vetari, quia cæteroquin homo nec conservari, nec homo, id est, animal rationale esse possit*; verùm etiam §. 2. *OMNEM obligandi vim, quam lex naturæ habet, à voluntate Numinis* derivat, atque §. 5. obligationem à Deo hominibus impositam ex eo, *quòd homini non liceat esse salvo & incolumi, nisi leges naturæ observet, Deus autem, quia summè bonus est, velit, ut homini internè & externè benè sit*, unicè deducit. Uti enim per actiones hominum *hactenus indifferentes* nil aliud, nisi actus per se & suâ naturâ indifferentes intelligit: ita, quando actus illos, qui legis naturalis objectum sunt, *necessariò* à Deo præcipi aut vetari debuisse inquit, de sola hypothetica necessitate loquitur, Deumque, post-

postquam scilicet hominem creare animal rationale destinâsset, actiones certas non potuisse non præcipere aut vetare opinatur.

§. 12. Ut autem thesin nostram adversus antagonistas istos nunc copiosiori operâ demonstrem, movet me potissimum summa contrariæ opinionis malignitas. Quantoperè enim abominandus sit error iste, non tantùm *Johannes Coccejus*, sed & ex orthodoxorum Theologorum choro B. *Calovius* sapienter monet. *Coccejus* sanè l. c. de ea sententia statuit, quod *eâdem nihil excogitari possit pestilentius, & ad omne fundamentum religionis tollendum, ipsamque rationem justitiæ Dei, & necessitatem Salvatoris interimendam, & PIETATEM exscindendam efficacius.* Sic! & B. *Calovius* in Syst. Loc. Theol. Tom. V. Art. I. c. I. (ubi quæstionem illam: *an peccatum solâ Dei voluntate sit, adeò ut nullæ actiones naturâ suâ peccata sint*? ex instituto pertractat) sententiam illam, quòd omnes actus per se indifferentes, nulli naturâ mali sint, *reprobandam & detestandam opinionem* adpellitat.

§. 13. Intrinsecam igitur, & absolutè necessariam actuum quorundam moralitatem contra Doctores, quos notavimus, Pontificios & Calvinianos demonstramus [1] hocce argumento: Si non dantur actiones hominis per se & ex absoluta necessitate morales, e. gr. si contemtus Numinis, perjurium, adulterium, sodomia, &c. non sunt actus per se & suapte natura

tura turpes, itemque si e. gr. colere Deum, honorare parentes, suum cuique relinquere, servare fidem &c. non sunt actus per se & ex absoluta necessitate honesti ac debiti, sed omnes actus morales primum uniceque suam moralitatem habent ex mero Dei arbitrio & liberâ ejus voluntate, quâ ipse liberè voluerit, ut actus, qui nunc sunt honesti, & actus, qui jam sunt turpes, essent turpes, consequitur omninò, Deum potuisse alias non modò discrepantes, sed planè contrarias leges hominibus constituere. v. c. velle & præcipere contemtum Numinis, perjurium, adulterium, sodomiam, & quævis alia horrenda scelera, contra verò prohibere & non velle cultum sui ipsius & parentum, justitiæ exercitium. Consequentia perquam manifesta est. Nam non solùm voluntas Dei libera ad unum oppositorum determinata non est, verùm etiam necesse est, ut, si homo legislatoria potestate pollens & præcipere & prohibere potest actus, qui per se & ex absoluta necessitate non sunt morales, Deus quoque, supremus quippe legislator, & præcipere & vetare pro arbitrio possit actiones, quæ per se & ex absoluta necessitate morales non sunt. Quam consequentiam ipse *Johannes Szydlovius*, qui nostræ thesi adversatur, manifestò agnoscit, quando l. c. sic scribit: *Certum igitur est, Deum potuisse contrarium modum cultus sibi jubere præstari. Nam quæ semel liberè præcepit, ea potuit aliter præcepisse.*

Ast

Ast consequens istud usque adeò à religione alienum, & ab ipsa natura abhorrens est, ut ad solam illius cogitationem animus cohorrescat. Sic enim v. c. amare Deum esset impium, & Deum odio prosequi foret pium. Hinc & *Moses Amyraldus*, Professor Salmuriensis, in Dissert. Theologic. quaternione, Diss. II. quæ de *Jure Dei in creaturas* inscribitur, eruditè ait: *Si legum à Deo nobis positarum nulla causa est ipsa rerum natura & in legibus ipsis; si, inquam, ex illius arbitrio mero pependerunt, & sunt (ut loquuntur) ex jure positivo; potuit ille certè alias non modo discrepantes, sed planè contrarias leges hominibus constituere. Sic si Deo libuisset nobis imperare, ut ipsum odio acerrimo haberemus, Deum odio habere res fuisset futura pia & sancta. quod usque adeo alienum à religione & ab ipsa natura abhorrens esse existimo, ut ad illius solam cogitationem animus cohorrescat. Absit ergò. ut ullam potestatem Deo attribuamus, quæ sit isto modo summa* [cui scilicet omnia omninò licent indiscriminatim, adeò, ut non modò omnia agere possit pro arbitratu quæcunque libent, sed etiam ut quæcunque agit, bona sint, quia sic ei libent.) Quibus *Amyraldi* verbis *Stephanus Curcellæus* Opp. Theolog. fol. 741. à se citatis subjicit: *Ad quæ nihil habeo quod respondeam, nisi me ea omnia ex animo approbare.*

§. 14. Ad constabiliendam thesin nostram [2] ita concludimus: Si non admittendi sunt actus per se, intrinsecâ ratione & ex absoluta

luta necessitate homini honesti aut turpes, nihil obstat, quò minus dicamus, e. gr. stare promisso & servare jusjurandum Deo quoque non esse per se & ex absoluta necessitate honestum ac debitum, nec cadere promisso & violare jusjurandum Æterno Numini per se & ex absoluta necessitate turpe esse. Quæ enim causa est, quare actus quosdam, Deo cum hominibus communes in ratione sua intrinseca & ex absoluta necessitate Deo rectos & honestos esse affirmemus, eadem quoque ratio erit, cur actus illos in se, ex absoluta necessitate homini honestos & debitos esse pronunciemus. Certè, si fortè infinitam perfectionem, qua caret utique homo, ex parte Dei causam esse pertendas, respondere in proclivi est, illam perfectionem tantummodò causam esse, cur Deus actus per se & ex absolutâ necessitate sibi honestos & convenientes non possit non exercere, minimè verò esse rationem, quare actus illi in se, intrinsecè & ex absoluta necessitate Deo sint honesti. Ast hoc quoque consequens absurdissimum esse, clarissimè Apostolus *Ebr.* VI, 18. docet, ubi promissa implere & jusjurandum servare vocantur δύο πράγματα ἀμετάθετα, ἐν οἷς ἀδύνατον ψεύσασθαι Θεὸν, h. e. *duæ res immutabiles, in quibus prorsus nequeat fieri, ut Deus mentiatur.*

§. 15. Argumentamur (3) hunc in modum: *Quicunque hominum actus cum justitia & sanctitate Dei per se, in sua natura & intrinseca ratio-*

ratione, atque ex absoluta necessitate pugnent, illi per se, suapte natura, & ex absoluta necessitate turpes sunt atque illiciti [cùm omnis ille actus, qui justitiæ & sanctitati Dei repugnat, malus sit atque illicitus]. *Atqui illi hominum actus, qui legi Dei æterna ac naturali vetantur, cum justitia & sanctitate Dei per se, in sua natura, & intrinseca ratione, atque ex absoluta necessitate pugnant* (uti ex *Psam.* V, 5. *Jacob.* I, 14. manifestum est]. *Ergò* &c.

§. 16. Urgemus (4), si omnia in se sunt indifferentia, certa & immutabilis ratio assignari nequeat, quare Deo, tanquam creatori & conservatori hominum, obedire sit rectum, & eidem non obedire sit turpe. Si enim dicas, obedire Deo, tanquam omnium hominum creatori, conservatori & Domino supremo, esse rectum, quia creaturis præcepit, ut sibi obedirent, & ego vicissim quæram, cur rectum sit ac debitum obedire Deo præcipienti, ut creaturæ creatori & conservatori obediant? nihil tandem respondere poteris, nisi statuas, creaturam creatori, conservatori & Domino suo obedire per se, sua natura & ex absoluta necessitate rectũ ac debitũ esse, & è contrario eidem non-obedire per se, sua natura, & ex absoluta necessitate esse peccatum. Quod si verò contendas fortè, obedire Deo, tanquam omnium hominum creatori, conservatori & Domino supremo obedire, ideò rectum, & eidem non-obedire eò turpe esse, quòd homo Deo non-obediens non agat ut homo

homo h. e. ut animal rationale, quia creatura ratione pollens creatori suo, conservatori & Domino supremo obedire debet; ego autem sciscitandô instem, cur creatura ratione instructa creatori suo, conservatori & Domino supremo obedire debeat? nisi solidi repones, si confitearis tandem, obedientiam ejusmodi esse creaturæ rationalis naturæ ut tali per se, in sua intrinseca ratione & ex absoluta necessitate convenientem. Atqui sicut actuum à creaturis elicitorum convenientia cum natura rationali est honestas, ita actuum istiusmodi intrinseca & absolutè necessaria cum natura rationali convenientia est actuum illorum intrinseca & absolutè necessaria honestas ac moralitas.

§. 17. Speciatim contra Dn. D. *Buddeum* ex ipsis ejus placitis assertisque hic disputamus. Is quippe §. 8. docet, *actiones hominum, quæ legis naturalis objectum sunt, necessario à Deo debuisse præcipi aut vetari, quia cæteroquin homo nec conservari, nec homo, id est, animal rationale esse possit.* Ast si quæramus hîc ex scriptore illo Clarissimo, cur homo animal rationale esse prorsus nequeat, nisi ipsi actiones, quæ lege naturali præcipiuntur, à Deo injunctæ, actiones verò, quæ lege naturali vetantur, divinitùs prohibitæ fuissent? haud aliam responsionem aptam tradere valebit, quàm actiones illas, quæ lege naturali præcipiuntur, cum natura rationali, qualis est hominis natura, in se, & ex absoluta

luta necessitate convenire, actiones verò, quæ naturali lege vetantur, cum istiusmodi natura in se, & ex absoluta necessitate disconvenire. Quocirca §. 1. *homines* ait *lege naturæ obligari ad faciendum vel omittendum, quod cum natura hominis convenit, vel non convenit:* nec non §. 18. contendit, quod *principia, quæ ad leges naturales pertinent, connexionem naturalem, quam leges naturæ habent cum hominis natura, connotent.* Atqui actuum convenientia cum natura rationali est rectitudo & honestas, disconvenientia verò est turpitudo & moralis malitia. Ea enim convenientia, cùm sit bonitas quædam, & quidem ea, quæ moralis considerationis est, nil aliud quàm bonitatem moralem, h. e. honestatem dicit. Hinc autem sponte suâ consequitur, actiones hominum, quæ legis naturalis objectum sunt, per se & ex absoluta necessitate honestas ac debitas esse, si cum natura rationali per se & ex absolutâ necessitate conveniunt, contrà verò per se & ex absoluta necessitate turpes, neutiquam in se indifferentes, esse, si cum naturali per se & ex absoluta necessitate disconveniunt.

§. 18. Postquam ex hactenus dictis manifestò adparet, quasdam hominum actiones (eas nimirum, quæ cum lege Dei æterna & naturali immediatè pugnant) per se, & suapte natura esse peccata, hinc consequitur porrò, quod, licet superiùs ἀνομίαν peccati in genere spectati *formale* dixerimus, hoc tamen diversa ratione

sit

sit accipiendū. Scilicet peccati primariò sic dicti, seu ejus peccati, quod per se & intrinsecè peccatum est, formale primum est absolutè necessaria disconvenientia cum natura rationali, formale autem consequens est ἀνομία seu disconvenientia cum lege. Nam prius est, peccatum ejusmodi disconvenire cum natura rationali, posterius verò, disconvenire cum lege, quia Deus illud ideò, quòd cum natura rationali per se & absoluta necessitate disconvenit, lege suâ prohibuit. Cæterùm peccati secundariò sic dicti, seu ejus peccati, quod extrinsecè tale est, formale primum est ἀνομία, formale consequens verò est disconvenientia cum natura rationali. Ejusmodi enim peccatum cum natura rationali, quippe quæ ut talis obsequium superiori præstandum exigit, ideò disconvenit, quia superioris decreto, tanquam lege, prohibetur.

§. 19. Legis Deiæternæ, cujus objectum hactenus prolixè edisseruimus, peculiaris proprietas essentialis est *absoluta immutabilitas*, quæ hic in eo consistit, quod nunquam possit contra ipsam dispensari. Quæ sanè proprietas liquidissimè demonstrari potest. Si enim ulla hîc fieret dispensatio, Deus certo alicui homini actum quendam, quem aliàs eadem illa lex prohibet, positivè permitteret [h. e. certo homini jus daret ad ejusmodi actum licitè exercendum,] atque adeò idem ille actus licitus & non turpis fieret. At verò tale quid nullo planè pacto fieri potest. Illi enim actus, qui lege Dei

Dei æternâ vetantur, cum natura rationali quà tali necessariò disconveniunt, & sic intrinsecè ac suapte natura turpes sunt & illiciti. Ast neque Deus ob necessitatem, justæ ac sanctæ suæ naturæ actum cum natura rationali quà tali necessariò disconvenientem ulli creaturæ rationali positivè permittere potest; neque [cum essentiæ seu naturæ rerum, itemque naturales seu essentiales rerum proprietates, quæ ex natura rerum necessariò fluunt, æternæ sint, ac simpliciter immutabiles] actus per suam naturam & essentiam turpis ac illicitus in actum licitum & non-turpem potest commutari. Accuratè *Grotius* Libr. I. de Jur. Bell. & Pac. c. I. §. X. n. 5. scribit *Et autem jus naturale adeò immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat. Quanquam enim immensa est Dei potentia, dici tamen quædam* (e. g. σιδηρόξυλον, brutum rationale, &c.] *possunt, ad quæ se illa non extendit; Quia quæ ita dicuntur, dicuntur tantùm* (h. e. tantum mente concipiuntur & verbis efferuntur ac pronunciantur] *sensum autem, qui rem exprimat, nullum habent*, [h. e. effectum autem habent nullum, & nihil reale important,] *sed sibi ipsis repugnant*, [h. e. contradictionem implicant atque adeò per se & simpliciter impossibilia sunt.] *Sicut ergò, ut bis duo non sint quatuor, ne à Deo quidem potest effici, ita ne hoc quidem, ut, quod intrinseca ratione malum est, malum non sit. Et hoc est, quod significat Aristoteles, cum dicit:* ἔνια ἐυθὺς ἐννόμασαι συνειλημμένα μετὰ τῆς φαυλότητος. *Nam*

ut

ut esse rerum, postquam sunt & quà sunt, aliunde non pendet; ita & proprietates, quæ esse illud necessariò consequuntur; Talis autem est malitia quorundam actuum comparatorum, ad naturam sanà ratione utentem. Itaque & Deus ipse secundum hanc normam de se judicari patitur, ut videre est Gen. XVIII, 25. Ezech. XVIII. 25. Jerem. II. 9. Mich. VI. 2. Rom. II. 6. III. 6.

§. 20. Ex his perspicuum valde evadit, immane quantum hallucinari eos in Papatu Doctores, qui Deum *contra legem naturalem* (& sic quoque contra legem suam æternam) dispensare posse contendunt. *Occamus, Gerson* aliique Deum in omnibus præceptis Decalogi, (qui summam totius legis naturalis & æternæ continet,) *Bonaventura* verò, *Ægidius Romanus, Scotus* in sola Decalogi tabula secunda dispensare posse contendunt. Nonnulli, quantum ad primam Decalogi tabulam attinet, DEum duntaxat in præcepto *de imaginibus* dispensare posse docent: quos vide apud *Gisbertum Voetium* Part. I. Disp. Select f. 350. *Suarezius* verò Lib. II. de Leg. c. XV. disertè scribit, *posse DEum licentiam dare homini per universam vitam, imò per totam æternitatem, nullum bonum motum circa ipsum* (Deum) *exercere, neque cultum aliquem directum, & proximum exhibere.* Quod Decalogi tabulam secundâ attinet, *Suarezius* ibidé statuit, tabulæ illius præcepta esse juris divini positivi, præter octavum de mendacio. Quid? quod statuant *Canonistæ,*

ſta, vel Pontificem facultate contra Decalogum diſpenſandi pollere. Vid. *Angelum* de *Clavaſ.* in *ſumma* voce *Papa*, nec non *Antoninum* in ſumma part. III. Tit. I. cap. II.

§. 21. Conſtat & ex ſuperiùs dictis, hîc quoque vehementer impegiſſe *Stephanum Curcellæum*, Arminianæ ſectæ addictum, quidpe qui Opp. Theolog. tol. 742. 743. ſtatuit, *Deum aliquos & ad tempus diſpenſare poſſe ab obſervatione præceptorum, quæ juris ſunt naturalis, non quidem in rebus in ſummo gradu honeſtis aut turpibus* [*ut ſunt amare Deum, mandata ejus obſervare, odiſſe Deum*], *ſed in rebus, quæ in medio vel infimo gradu homini ſunt turpes*, atque ejusmodi diſpenſationem à Deo factam eſſe, cùm ipſe Abrahamum immolare filium unigenitum, & Iſraëlitas ſpoliare Ægyptios juſſiſſet. Certè enim ſi Abrahamo in jure naturali homicidium prohibente, ſi Iſraelitis in lege naturæ furtum ac ſpolium interdicente facta fuiſſet diſpenſatio, ille homicidium molitus fuiſſet, hi verò furtum actu patrâſſent: Diſpenſatio quippe efficit, ut ipſe actus, quem lex prohibet, in ſua ſubſtantia ſpectatus huic vel illi concedatur ac licitus reddatur, prout e. gr. Patribus, quibus ſecundùm quorundam Theologorum ſententiam diſpenſatio in lege polygamiam vetante contigit, ipſa vera polygamia fuit indulta. At verò nec Abrahamus immolando filio intentus homicidium moliebatur, nec Iſraëlitæ furtum

commiserunt: Occisio enim, quæ fit auctore eô, qui vitæ nostræ supremus Dominus est, & potestatem vitæ ac necis in omnes homines possidet, rationem homicidii non habet. Nec Israëlitarum gens res alienas auferebat, id quod tamen ad naturam furti requiritur; sed suas ex Ægypto asportabat. Accedit, quòd fatente ipsô *Curcellæo* rem honestam Abrahamus conatus sit, Israëlitæ verò actu patraverint. Enimverò nec furtum, nec homicidium, quà tale, evadere potest honestum, quia facinora ista jure naturæ, quod docente l. c. *Curcellæo* circa res naturâ suâ honestas vel turpes versatur, prohibita sunt, id verò, quod suâ naturâ seu per essentiam turpe est, honestum fieri nequit, cùm rerum essentiæ atque proprietates essentiales æternæ sint, & absolutè immutabiles. Scitè *Grotius* Lib. I. de Jur. Bell. & Pac. cap. I. §. X. n. 6. scribit: *Fit tamen interdum, ut in his actibus, de quibus Jus Naturæ aliquid constituit, imago quædam mutationis fallat incautos, cum revera non Jus naturæ mutetur, quod immutabile est, sed res, de qua Jus Naturæ constituit, quæque mutationem recipit. Exempli gratiâ: Si creditor, quod ei debeo, acceptum ferat, jam solvere non teneor, non quia Jus naturæ desierit præcipere solvendum, quod debeo, sed quia, quod debebam, deberi desiit. - - Ita si quem Deus occidi præcipiat, si res alicujus auferri, non licitum fiet homicidium aut furtum, quæ voces vitium involuunt, sed non erit homicidium aut furtum, quod vitæ & rerum supremo Domino auctore fit.* §. 22.

§. 22. *Obligatio*, quam lex Dei æterna in nobis producit, *omnes* omninò homines stringit. Quæcunque enim lex non tantùm divina est, sed & de actibus naturæ rationali ut tali necessariò convenientibus aut disconvenientibus disponit, ea omnes omninò homines obligat. Atqui Lex Dei æterna non tantùm divina est, sed & de actibus naturæ rationali ut tali necessariò convenientibus aut disconvenientibus disponit. Ergò &c. Minor quoad utrumque membrum ex forma legis Dei æternæ superiùs tradita oppidò eluceſcit. Major autem propositio ex eo claret, quòd homo sit natura rationalis, & creatura Deo, supremo velut Domino, subjecta, repugnet verò, naturam rationalem esse, & Deo, supremo tanquam Domino, subjici, nec tamen ad facienda ea, quæ naturæ rationali ut tali necessariò conveniunt, & ad omittenda illa, quæ naturæ rationali quà tali necessariò disconveniunt, divinâ lege obligari.

§. 23. Atque legis illius obligatio est *maxima*. Hæc enim obligatio non solùm ex supremi, potentissimi, sapientissimi sanctissimique voluntate, verum etiam ex substratæ materiæ, (actuum videlicet per se bonorum aut malorum) natura & intrinseca ratione ortum ducit.

§. 24. Quemadmodum verò nulla planè lex à superiori lata obligat, nisi *promul-*

gata sit: Ita legem Dei æternam, si quidem homines obligare debet, iis *promulgatam esse* oportet.

§. 25. Illa autem divina lex promulgata tuit primùm in creatione, ubi hominibus non modò συντήρησις, sed & φρόνησις implantabatur.

§. 26. φρόνησις hæc est facultas principia practica universalia ad singulares actiones, & ad singularium actionum circumstantias applicandi, atque secundum eadem principia judicandi, quid hic & nunc agere aut non agere conveniat.

§. 27. Συνήρησις est principiorum practicorum universalium cognitio [seu notitia principiorum, quæ, quid agendum quidve omittendum sit, universaliter & in thesi præscribunt.) Hinc igitur adparet, συνήρησιν quoad rem esse ipsam mentibus hominum implantatam naturalem legem.

§. 28. Συνήρησις illa & naturalis lex adhuc hodiè post lapsum homini connascitur. Id quod ex *Rom.* II, 15. manifestum est, ubi Apostolus ita scribit: *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturâ fecerint, quæ sunt legis, ea legem non habentes, sibi ipsis sunt lex* [h. e. cùm gentiles, qui legem divinam scriptam & extrinsecus per revelationem peculiarem sibi propositam non habent, ex vi luminis naturæ & naturalis principi-

cipiorum practicorum notitiæ ea, quæ lege divinâ externâ & peculiariter revelatâ præcipiuntur, fecerint, intrinsecè & in se habent legem, quæ est ipsum rectæ rationis dictamen practicum in materia universali de eo, quod per se morale est,) *ut qui ostendunt opus legis cordibus suis inscriptum* (h. e. gentiles de se produnt naturalem legem cordibus suis inscriptam,) *simul attestante illorum conscientia, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus* (h. e. legem naturalem commonstrant & ostendunt per hoc, quod non tantùm secundùm principia practica universalia, quid hic & nunc agere aut non agere conveniat, judicant, sed etiam intellectus sui judicium super commissis & omissis reflectentes approbant benè, damnant secus facta, &, prout judicium illud de pace aut ira legislatoris sperare jubet, tranquillitatem aut perturbationem animi sentiunt.) Ex hoc igitur Paulino dicto argumentamur sequentem in modum: *Quicunque habent naturalem legem cordibus suis inscriptam, illi legem naturalem habent connatam. Atqui gentes habent naturalem legem cordibus suis inscriptam. Ergò gentes legem naturalem habent connatam.* Minor propositio ex allegato & hactenus explicato Apostoli dicto clare liquet. Major ex eo patet, quòd stylo Scripturæ scriptio in corde constanter opponatur acquisito [vid. *Jerem.* XXIV, 7. XXXI, 33. 2. *Cor.* XII, 3. *Ebr.* VIII,

20.) quicquid verò opponitur acquisito, illud denotet connatum. Confer. B. *Scherzeri* Colleg. Anti-Socin. fol. 30.

§. 29. Eo autem modo ac sensu, quô in Parte I. pag. 84. seqq. notitiam Dei naturalem connasci nobis docuimus, Jus naturæ omnibus ac singulis hominibus congenitum est. Videlicet naturale Jus nobis est connatum non in *actu ipso* (seu quòd actuale quoddam rectæ rationis dictamen ac judicium practicum de actionibus intrinsecè moralibus in materia universali efformatum nobis connascatur) nec eo sensu, quòd *habitus propriè dictus* de actionibus intrinsecè moralibus in materia universali rectè ac practicè judicandi naturâ nobis insit, sed congenitum est nobis in potentiâ, *non* quidem *completâ*, tamen *propinquâ*, (h. e. intellectui nostro naturâ superaddita est proxima potentia practicum rebusque conveniens de actionibus intrinsecè moralibus judicium in materia universali, quod dictamen jus naturæ dicitur, eliciendi, negationem actualis ejusmodi judicii connotans.)

§. 30. Minimè, inquam, naturale Jus nobis est connatum in *actu ipso*, seu eâ ratione, quòd actuale quoddam de actionibus per se moralibus judicium practicum nobis connascatur. Nam (1) talismodi judicium est quidam rationis usus: Hic verò in se nobis haud connasci-

nascitur. (2) Judicium ejusmodi est *actualis* quædam *cognitio* intellectualis, i. e. actus, quem intellectus per species intelligibiles adjutus & determinatus producit: Talis verò actus ratione sui nobis non est innatus, cùm species intelligibiles natura nobis non insint, sed successu temporis interventu sensuum & phantasmatum ad intellectum transmittantur.

§. 31. Neque approbanda est ea sententia, quæ *habitum propriè dictum* de actionibus intrinsecè moralibus in materia universali practicè judicandi naturâ nobis inesse statuit. Nullum enim habitum intellectualem propriè dictum connasci nobis, suprà pag. 86. ex mea *Philosophia Prima* monui.

§. 32. Nec verò salvâ veritate asseri potest, naturale Jus nobis esse connatum in *potentiâ completâ*, seu completam potentiam de actionibus intrinsecè moralibus in materia universali rectè ac practicè judicandi mentibus nostris innasci. Nam ad completam cognoscendi & judicandi potentiam (cui scilicet omnia ad actum cognitionis eliciendum prærequisita adsunt) species impressæ, quas vulgò intelligibiles vocant, requiruntur. At illas naturâ nobis haud inesse, supra pag. 87. ex mea *Philosophia Prima* observavi.

§. 33. Quod si igitur naturale Jus in potentia completa nobis non est congenitum,

sanè nec in actu primo pressius strictiusque sumto connatum dici potest. Quippe actus primus in stricto suo significatu nil aliud, quàm potentiam operandi completã, designat. Loquor autem studiô de *actu primô strictiùs pressiuq; sumtô*, quia, si actus ille accipiatur latiùs pro quavis operandi potentia, actuali operationi contradistinctâ (qua ratione notio ista ab *Aristotele* accipitur Libr. II. de Anim. cap. II. ubi actus alius ὡς ἐπιςήμη h. e. *ut scientia*, alius ὡς τὸ θεωρεῖν h. e. ut *contemplatio* sese habere dicitur,) nos naturale Jus in actu primo hominibus connasci statuimus eô ipsô, quòd illud in *potentia* propinqua ingenitum esse affirmamus.

§. 34. *Per propinquam* judicium ejusmodi practicum, quod Jus naturæ adpellamus, eliciendi potentiam congenitam intelligimus perfectionem quandam ac vim naturâ intellectui superadditam, cujus beneficiô intellectus statim apprehensis terminis, & speciebus intelligibilibus acceptis, de actionibus intrinsecè moralibus in materia universali judicium practicum rebusque conveniens elicit, nisi impedimenta quædam objiciantur; prout e. gr. quædam lux ac perfectio nobis congenita est, vi cujus, simulac cognoscimus, quid sit Deus, quid sit timere, quid sint parentes, quid honorare, intellectus noster cognoscit, Deum esse timendum, parentes honorandos. Dixi (1), quòd propinqua illa potentia connata importet

tet perfectionem quandam ac *vim* naturâ *intellectui superadditam*. Nec enim naturale Jus ideò saltem nobis connatum dicitur, quòd intellectus *nudus*, actualis illius judicii, quod Jus Naturæ vocatur, principium, nobis connascatur, sed propinqua illa potentia, ratione cujus Jus naturæ nobis ingenitum est, arguit quandam ab intellectu distinctam eique superadditam vim ac perfectionem, quæ communiter *lux intellectui ingenita* sive *naturâ insita*, à Thoma in P. I. q. 12. art. 2. *virtus intellectiva, quæ sit participativa similitudo ipsius, qui est primus, & lumen quoddam intelligibile quasi à prima luce derivatum*, & à *Philippo Melanchthone* in libr. de Anima *lux in mentibus* adpellitatur. Dixi (2.), quòd potentia illa sit perfectio, cujus beneficiò intellectus statim *apprehensis terminis & acceptis speciebus intelligibilibus* judicium elicit. Id enim potentiæ cognoscendi ac judicandi propinquæ notio *inprimis* importat. Dixi (3): *Nisi impedimenta quædam objiciantur*. Ea quippe congenita vis ac perfectio, per quam intellectus aliàs, speciebus intelligibilibus acceptis terminisque apprehensis, statim de actione intrinsecè morali practicum & generale, rebus ipsis conforme, judicium elicit, inadvertentiâ, præjudiciis, errore, perturbatione, hominum malitiâ, injectionibus Satanicis aut aliâ quadam causâ impediri potest ac cohiberi, ne erumpat in actum, & intellectum ad practicum ejusmodi ju-

dicium eliciendum determinet; quemadmodum e. g. Persis turpe non fuit visum, non tantùm cum filiabus, sed etiam cum matribus misceri, teste *Athenæo* Lib. V. *Diogene Laërtio* Libr. IX. in Pyrrhon. *Clemente Alexandrino* Libr. I. Pædagogi cap. VIII. atque apud regionis Asiaticæ, quam Naura adpellabant, incolas parentibus stupro coire cum liberis licitum erat teste *Curtio* Libr. IIX. cap. II. & Lacedæmoniis furari fas fuit, dummodo astu fieret, apud *Agellium* Libr. XI. c. VIII.

§. 35. Annotavi tandem in thesi nostra, Jus naturæ in *potentia* connatum importare potentiam, quæ actualis illius judicii, quod Jus naturæ adpellamus, negationem connotat. Nam τὸ potentiâ inesse opponitur τῷ inesse actu, actusque ipsius negationem importat.

§. 36. Illud autem, de quo hic disseritur, Naturale Jus (h. e. judicium rectæ rationis humanæ practicum in materia universali de eo, quod intrinsecè morale est] in *potentia* saltem, & quidem *propinquâ*, connasci nobis, nullô negotiô nunc demonstratur. Cùm enim, Jus illud reverà nobis ingenitum esse, ex *Rom.* c. II. v. 15. liquidissimè constet, sanè aut in actu ipso, aut in potentia nobis connatum esse oportet. Sed haud congenitum nobis esse in actu ipso, paulò antè demonstravimus: Ergò innatum nobis est in potentiâ. Quod si autem naturâ

turâ nobis ineſt, certè aut in remota, aut in propinqua potentia connaſci nobis neceſſe eſt. Aſt verò ſalvâ veritate aſſeri nequit, ſaltem ratione remotæ potentiæ id nobis eſſe connatum, cùm, quod in potentia remota congenitum eſt, abſolutè & ſimpliciter non dicatur nobis innatum. Ergò nobis naturâ inſplantatum eſt in potentia propinqua.

§. 37. Cæterùm quando Jus Naturæ hominibus ſimpliciter loquendo nunc connaſci ſtatuimus, illud ſpectamus ſolùm quoad *principia naturalia practica ſimpliciter & primò prima* [h. e. quoad principia naturalia practica, quæ per rationem à priori tradi nequeunt, ut ſunt: Per ſe & ſuapte naturâ honeſtum eſt appetendum; Per ſe ac ſuapte natura turpe eſt fugiendum,] nec non quoad *principia naturalia practica ſecundùm quid & ſecundò prima* (h. e. quoad principia naturalia practica, quæ quidem per rationem à priori tradi poſſunt, interim tamen in ſe adeò facilia perceptu ſunt, ut nullâ egeant probatione, ſed immediatè citra demonſtrationem & citra ullam aliunde deſumtam aſſentiendi rationem ab omnibus ſanâ ratione utentibus, etiam illis, qui literarum rudes ſunt, ob ſuam evidentiam intelligantur, eorumque conſenſu recipiantur & approbentur, ut ſunt: Suum cuique eſt tribuendum, Deus eſt colendus, Parentes ſunt honorandi &c.] minimè verò ratione *concluſionum* naturalium practicarum,

rum, quæ ex principiis naturalibus practicis per consequentiam non ita facilem, nec cuivis obviam deducuntur, atque adeò citra demonstrationem ab omnibus sanâ ratione utentibus non intelliguntur aut approbantur. Jus naturæ enim ratione hujusmodi conclusionum spectatum in *potentiâ* saltem *remotâ*, inde â nativitate nobis inest, cùm intellectus noster eas non statim terminis apprehensis & speciebus intelligibilibus acceptis immediatè & per se eliciat, sed interventu demum alterius cognitionis, quâ alia principia cognoscuntur, ac interveniente demonstratione ad eas efformandas sese determinet. Aſt verò quod in potentia duntaxat remota congenitum est, id absolutè & simpliciter non dicitur connatum.

§. 38. Conclusiones illas, quas simpliciter loquendô nobis connatas esse negamus, *Grotius* Libr. II. de Jur. Bell. & Pac. c. XX. §. XLIII. *illationes, quæ difficiliorem habent cognitionem*, adpellitat, dum sic scribit: *Diligenter distingvendum inter principia GENERALIA, quale est honestè vivendum, id est secundùm rationem, & quædam HIS PROXIMA, sed ita manifesta, ut dubitationem non admittant, quale est alteri suum non rapiendum, & inter ILLATIONES, quarum alia facilem habent cognitionem, alia verò DIFFICILIOREM, ut ultionem, qua in dolore alterius acquiescit, esse vitiosam. Fermè idem hic evenit, quod in mathematicis, ubi quædam sunt notitiæ prima, aut primis*

primis proxima, quædam demonstrationes, quæ statim intelliguntur & assensum obtinent, quædam veræ quidem, sed non omnibus patentes. Ubi annotandum ducimus, nos *principia* (quæ *Grotio* ita dicuntur) *generalibus proxima, & illationes faciliorem habentes cognitionem* in præcedente §. sub principiorum practicorum secundùm quid primorum ambitu complexos esse.

§. 39. Non autem in prima creatione tantùm, cùm hominibus συνυπήρησις & φθόνησις conferretur, legem suam æternam DEus promulgavit, sed & posteà, cùm homines post lapsum eandem non amplius adeò perfectè nossent, repræsentavit, quando videlicet præter cæteras revelationes supernaturales, quæ patriarchis, & eorum operâ aliis non una vice contigerunt, non solùm legis illius summam decalogo solenniter in monte Sinai promulgatô [*Exod.* c. XX. v. I. & seqq. c. XXXI, v. 18.] ac porrò (*Matth.* XXII, 37. ad 40.) præceptis de diligendo Deo & Proximo complexus est, verum etiam singula præcepta in sacris literis passim clariùs exposuit (vid. omninò *Gerhardus* in Loc. de Lege Sect. IX.) atque à corruptelis Pharisaicis vindicavit (*Matth.* V, 20. seqq. cap. XIX, 3. seqq.] tùm ea, quæ formaliter & explicitè, tùm quæ virtualiter & implicitè præceptis Decalogi repugnant, peccati rationem habere edocens.

Th.

Th. XI.

Peccati, cujus formam & adæquatam mensuram hactenus declaravimus, *formales effectus* sunt *culpa* & *reatus*, quatenus ex parte peccatoris spectantur.

§. 1. Per peccati *effectum formalem* h. l. intelligimus id, quod vi suæ naturæ ac formæ peccatum non potest non ex parte hominis peccantis inducere.

§. 2. Ut autem manifestiùs adpareat, quòd omne peccatum vi formæ suæ ac naturæ culpam & reatum in hominem peccatorem necessariò inducat, ostendendum hic est, quid *sit culpa*, quid *reatus*.

§. 3. JCtis *culpæ* vox significat peccatum, quod committitur per imperitiam & negligentiam (dum homo ignorat aut negligit ea, quæ scire vel observare debuisset ac potuisset,] aut eum denotat peccandi modum, quo quis ex istiusmodi negligentia & ignorantia peccat. Hoc modo vocabulum illud accipiunt JCti, quando e. gr. læsionem, quâ quis in via illa aut loco, ubi multi versari consueverunt vel esse possunt, sagittandi artem exercens aliquem ferit, culpam adpellitant, aut quando militem illum, qui in alio loco, quàm qui ad exercendum destinatus est, sese exercens aliquem trajecit, cædem *per culpam* & *incircumspectè* patrasse

se pronunciant. Eâdem ratione JCti *culpæ* notionem sumunt, quando tres ejus gradus faciunt, nempe culpam levissimam, levem, & latam. Vid. *Puffendorffius* Libr. I. de Jur. Nat. & Gent. c. VII. §. 16. Ast hôc locô, ubi formalibus peccati effectibus annumeratur, *culpa* eô pactô haud accipitur. Nec enim vocabulum illud denotat hîc peccatum, aut certum peccandi modum, sed potius quendam effectum peccati, seu effectum, quem peccatum vi suæ naturæ ac formæ peccatori necessariò attrahit. Ad hæc culpa tribuitur hic omnibus læsionibus & delictis, etiam iis, quæ dolo malo, & ex proæresi destinatoque consilio fiunt.

§. 4. *Culpæ* verò vox hic aliis duobus modis sumitur. Scilicet hoc loco significat [1] eam *moralem maculam* & fœditatem, quæ peccantem per modum qualitatis permanentis ob peccatum ita deturpat & polluit, ut turpe aliquid feciſſe, aut turpe quid habere rectè dicatur; [2] *peccati imputabilitatem.*

§. 5. Fœditas & turpitudo moralis ex peccato in peccante nata vocatur *macula* per similitudinem à rebus materialibus & corporeis petitam, & ad animum translatam. Quemadmodum enim corpora munda ac nitida ex immundi corporis contactu nitorem suum perdunt, aut quippiam ei disconveniens contrahunt, atque hinc maculari dicuntur; ita animus hominis per peccatum, utpote formam animi,

nimi perfectioni, in rationali natura consistenti, [quæ est maximus ejus nitor] disconvenientem moraliter deturpatur, docente *Thomâ* I. II. q. LXXXVI. a. I. & II.

§. 6. *Imputabilitas* peccati in eo consistit, quòd peccatum *in se* spectatum ad aliquem ut ad autorem & causam efficientem, vel certè ut ad subjectum, cui constanter ac pertinacissimè inhæret, propriè pertinens haberi potest. Sicut enim in foro humano actiones pravas in se spectatas is agenti imputare dicitur, qui agentem earundem autorem declarat: ita actualium peccatorum imputabilitas in eo formaliter posita est, quod istiusmodi peccata ut ad aliquem, tanquam ad autorem causamque efficientem, pertinentia censeri queunt. Singulari autem studiô imputabilitatem ad peccatum *in se* spectatum hic restringo. Peccati enim imputabilitas, quatenus in eo consistit, quòd effectum peccati, qui est pœna, ad aliquem propriè pertinere, inque eum jure redundare statui potest, formaliter est *reatus pœnæ*, seu reatus absolutè sic dictus, qui tanquam posterius quid & consequens culpæ, velut ei, quod formaliter prius est, contradistingvitur. Dixi & notanter, culpam, seu peccati imputabilitatem in eo etiam positam esse, quòd peccatum ad aliquem *certè ut ad subjectum, cui constanter & pertinacissimè inhæret, propriè pertinens censeri potest.* Videlicet id subjunxi intuitu peccati

cati originalis, quod, cùm verè ac propriè loquendô peccatum sit, culpam sibi connexam habet, etsi ad homines carnaliter natos, quos afficit, non tanquam ad causam efficientem, sed velut ad subjectum, cui pertinacissimè inhæret, propriè pertineat. Cæterùm peccata actualia, & peccata habitualia actibus voluntariis contracta, ad eos, quos afficiunt, tanquam ad causam efficientem propriè omninò pertinent.

§. 7. Res autem eodem recidit, sive culpam descripseris per *peccati imputabilitatem*, sive per *relationem realem*, quâ peccator peccatum ut causa efficiens & autor suum effectum, vel ut subjectum suum adjunctum, à quo ipsum afficitur, respicit, sive per quandam *ligationem & constrictionem ad talis vel talis peccatoris denominationem*. Sanè enim unum idemque est quoad rem ipsam, si culpam per furtum inductam dixeris furti imputabilitatem, aut relationem realem, quâ quis furtum respicit ut causa efficiens suum effectum, aut quandam ligationem & constrictionem in eo consistentem, quòd quis furtô ita constrictus tenetur, ut furis denominationem mereatur.

§. 8. De cætero pro imputabilitate peccati sumitur *culpæ* vox, quando etiam imperitissimi mortalium, ubi super facto aut omisso aliquo accusantur, haud efficaciorem se posse excusationem afferre putant, quàm si dicant, *se non esse in culpa*. Alius enim excusationis

sensus est, penes se non stetisse, quò minus id factum vel non factum fuerit.

§. 9. *Reatus* absolutè & simpliciter sic dictus, quem aliàs cum addito reatum *pœnæ* appellitant, est obligatio ad sustinendam pœnam, seu dignitas pœnæ ex parte peccantis spectata.

§. 10. Culpa igitur & reatus, ut ex parte peccatores spectantur, variis invicem modis differunt. Quippe [1] culpa, quatenus imputabilitatem peccati denotat, hominem talis vel talis peccatoris denominatione, reatus verò hac vel illa pœna dignum formaliter constituit, seu culpa hominem ad talis vel talis peccatoris denominationem sustinendam, reatus autem ad talem vel talem pœnam luendam ligat & constringit. (2) Culpa eô modô accepta est prius quid reatu. Certè enim homo tum demum ad luendam furti pœnam obligatus est, postquam furis denominationem commeretur. [3] Ex culpa reatus fluit. Ideò enim quis pœnâ furto destinatâ dignus est, quia furis denominationem meretur, ut adeò ex eo, quòd quis ad subeundam furis denominationem constrictus est, obligatio ad pœnam furti sustinendam necessariò fluat. Atque sic manifestum evadit, errâsse omninò *Scotum* Libr. II. *Sentent. dist. 18. Quæst. 3.* ubi culpam nihil esse aliud, quàm reatum pœnæ docuit.

§. 11. Facilè autem ostendi potest, quòd

quòd peccatum unumquodque ex parte peccantis culpam & reatum vi naturæ & formæ suæ necessariò inducat. Quod enim ad culpam, quatenus notat peccati imputabilitatem, attinet, peccatum actuale, itemque habituale acquisitum, in sua natura est effectus, peccatum autem habituale connatum est adjunctum peccantis; at verò ex effectus *formaliter* considerati natura causæ efficientis relatio ad effectum [cum, quando fit, agenti denominationem in præsenti tribuat, quòd efficiat, & quando factus est, in præterito largiatur denominationem, quòd effecerit,] & ex adjuncti formaliter spectati conditione in subjecto relatio ad adjunctum resultat. Et quod concernit culpam, quatenus fœditatem & turpitudinem moralem ex parte peccantis arguit, illa eatenus ex peccati natura necessariò oritur, in quantum omne peccatum quandam à regula rectitudinis moralis, natura scilicet rationali & lege Dei æterna, exorbitantiam & discrepantiam vel immediatam vel mediatam in sua essentia importat. Certè enim substantia illa intelligens moraliter polluta & commaculata est, quæ aliquid moralis rectitudinis regulæ, naturæ, nimirum rationali & legi æterni Numinis immutabili, disconveniens facit vel habet. Reatus verò ex natura peccati ut peccati sic derivatur: Omne peccatum, quatenus est peccatum, per se & suâ naturâ legis Dei æternæ & immutabilis violati-

onem sive immediatam, sive mediatam importat, & legis divinæ violatio est quædam juris divini violatio, atque adeò injuria in Deum redundans, quâ non potest non Deus gravissimè offendi: Ast verò injuria & offensa infinitæ Divinæ Majestati illata reatum gravissimum, seu temporalium pariter & æternarum pœnarum meritum, necessariò sibi conjunctum habet.

Th. XII.

Ad peccati consequentia & effectus pertinent etiam *pœnæ*, non quòd eas vi suæ naturæ & formæ in quovis peccante necessariò inducant: (Multi enim peccatores, illi nimirum, qui Christum Mediatorem verâ fide apprehendunt, propriè non puniuntur); sed quòd ex ira Numinis & justitia vindicativa peccatum velut id quô merentur homines peccantes, sequantur, sequi certè possint. Pœnæ igitur aliâ plane ratione sunt consequentia & effectus peccati, quàm culpa & reatus.

Th. XIII.

Pœna autem propriè loquendô est incommodum quoddam, subjecto ejusque inclinationi aut naturæ disconveniens

ens, ut per culpam præviam contractum, & ad culpam istam vindicandam, atque ad injuriam & offensam quæ alteri (& hic quidem Deo) illata est, compensandam, actu inflictum: Cujusmodi pœnæ sunt æterni damnatorum cruciatus & respectu impiorum mors temporalis, morbi, ærumnæ & calamitates.

§. 1. Dico [1] quòd pœna propriè accepta sit *incommodum* quoddam, h. e. aliquid hujus vel illius subjecti inclinationi aut naturæ disconveniens. Quibus verbis designo pœnæ propriè dictæ *materiale*, h. e. conceptum genericum, quem cum malis, quæ propriè loquendò non sunt pœnæ, communem habet. Cujusmodi materiale pœnæ experiuntur quandoque bestiæ, quæ propriè loquendò non puniuntur, cum omnis pœna peccati pœna sit, & delicto reddatur, bruta autem propriè non peccent. Unde *Grotius* Libr. II. de Jur. Bell. & Pac. cap. XXI. §. XI. scitè scribit: *Quia in bestias propriè delictum non cadit, ubi bestia occiditur, ut lege Mosis ob concubitum cum homine, non ea verè pœna est, sed usus Dominii humani in bestiam.* Sic & quando posteri, qui nullatenus in culpa sunt, ob læsæ majestatis crimen à majoribus patratum feudo aliisque bonis carere necessum habent, ea carentia est quidem malum seu damnum posteris, eorumque inclinationi discon-

veniens, sed non est posterorum pœna propriè dicta. Rursus quando Titius rusticus & Sempronius maleficus ad idem opus, e. gr. ad exstruendum aggerem, obligati sunt, ille nimirum, cùm sub principis id jubentis potestate sit, hic verò, cum ad molestam illam gravemq; operam condemnatus fuerit; tunc labor iste est quidem Titio rustico, ejusque inclinationi disconveniens, sed non est ipsius, nullô quippe delictô promerentis, verùm Sempronii maleficì pœna.

§. 2. Dico [2] in descriptione pœnæ, quòd sit incommodum *per culpam previam* contractum. Quibus verbis significo, pœnam propriè dictam esse malum, ei, qui culpa sua, suoque delicto illud promeritus est, inflictum. Licet verò hicce ad præcedentem culpam respectus pœnam à multis malis & incommodis, quæ propriè non sunt pœna, distingvat, nondum tamen pœnam adæquatè ab omnibus incommodis hujus vel illius subjecti inclinationi aut naturæ disconvenientibus discernit. Dantur enim incommoda inclinationi hominis naturali disconvenientia & per culpam contracta, quæ tamen propriè loquendo non sunt pœna: Nam v. gr. mors corporalis, & qui eam comitantur, morbi, omnesque ærumnæ ac calamitates temporales, etsi humano generi ob culpam contingant, ex parte tamen piorum & fidelium pœnæ propriè dictæ rationem non habent.

habent. Ille igitur ad præviam culpam respectus saltem *materiale proximum* pœnæ propriè dictæ constituit.

§. 3. Dico [3], quòd pœna sit incommodum *ad vindicandam culpam, atq; ad injuriam & offensam; quæ Deo illata est, compensandam* actu inflictum. Illud enim incommodum, quod quidem per culpam contractum est, verùm hic & nunc non ad vindicandam culpam, nec ad injuriam, quæ alteri illata est, compensandam, sed unicè ad aliud majus malum evitandum, aut ad aliquod bonum consequendum obtingit, propriè loquendò pœna non est. Pœna enim propriè est justitiæ vindicativæ effectus: Quod autem incommodum non ad culpam ulciscendam, nec ad injuriam & offensam. quæ alteri facta est, compensandam, sed ad majus malum averruncandum, aut ad bonum aliquod procurandum infertur, id non ex vindicativa justitia, sed ex gratia provenit. Hinc licet piorum afflictiones naturali eorum inclinationi disconvenientes, & ob culpam contractæ sint, non tamen sunt pœna propriè dicta, sed paterna saltem castigatio, cùm non ad vindicandam culpam, & ad injuriam atque offensam, quæ Deo illata est, in piis compensandam: [culpa enim, & illata Deo injuria ac offensa fidelibus jam propter Christi Meritum fide apprehensum condonatæ sunt]; sed ad avertendum majus malum (nempe ut illi studiò majori peccata in

posterum vitent, & ut carnis concupiscentiæ, ne in mortali ipsorum corpore regnent, crucifigantur) aut ad consequendum bonum aliquod (nimirum vel ad explorandam illorum fidem, patientiam & constantiam, vel ad testimonium veritati perhibendum, Deique gloriam illustrandam) iis divinitùs immittantur. Quò pertinent dicta *Prov.* XIII, 23. (qui diligit filium suum, castigat eum) *Ebr.* XII, 6. (Quem diligit Dominus, castigat: Flagellat autem omnem filium, quem recipit) *Apoc.* III, 19. (Ego, quos amo, arguo & castigo). Pari ratione mors temporalis ex parte piorum morientium pœnæ rationem neutiquam habet. Nec enim fidelibus à Deo immittitur ad vindicandam culpam, & ad injuriam atque offensam, quæ Deo illata est, in ipsis compensandam: [culpa enim, & injuria illa atque offensa propter Christum Mediatorem fide apprehensum ipsis remissæ sunt]; sed ut molestiarum & ærumnarum, quibus illi in hac mortalitate exponuntur, finis sit, nec non ut sit janua & transitus ad vitam meliorem. Contrà verò mors corporis, omnesque temporales ærumnæ ex parte impiorum pœnæ propriè dictæ rationem omninò sustinent, cùm ad vindicandam delictorum culpam & ad offensam atque injuriam, quam Summo Numini illi intulere, quadantenus hic compensandam à Deo infligantur. Certè enim temporalis mors impiis non est malorum

rum finis, sed ad cruciatus perpetuos & exquisitissimos transitus; prout & temporales, queis affliguntur illi, calamitates uti ex irati Numinis vindicativa justitia proveniunt, ita iræ divinæ manifestum sunt indicium.

§. 4. Rectè igitur in doctrina de cruce & calamitatibus κόλασιν seu παιδείαν (h. e. paternam piorum castigationem ad crucifigendas domandasque carnis concupiscentias, & ut majori illi studiô peccata posthac devitent, factam] δοκιμασίαν (h. e. piorum afflictionem, ut ipsorum fides, patientia & constantia explorentur, divinitùs immissam) μαρτύριον (h. e. fidelium afflictionem ad testimonium veritati perhibendum à Deo destinatam) à τιμωρία h. e. à pœna strictè proprieque dictâ, quâ culpa non remissa vindicatur, atque injuria & offensa per peccatum Deo illata compensatur, Theologi distingvunt.

§. 5. Minus verò aptè *Marcus Friedericus Wendelinus* Libr. I. Theolog. Christ. cap. XII. loquitur, ubi quadruplicem peccati pœnam, nempe τιμωρίαν, δοκιμασίαν, μαρτυρίαν & satisfactionem pœnalem constituit, τιμωρίας vere castigationem paternam, quam vocabulô magis concinnô aliàs παιδείαν dici arbitratur, & satisfactionis pœnalis nomine pœnam pro peccato ad satisfaciendum justitiæ divinæ irrogatam intelligens. Nam παιδεία, δοκιμασία, & μαρτυρία propriè non sunt peccatorum pœ-

næ, quia, cùm fidelibus injuria per peccatum Deo illata, Deique offensa per peccatum facta propter satisfactionem à Christo Mediatore præstitam reverâ condonatæ sint, non ad vindicandam injuriam, & compensandam offensam, sed unicè propter alios antè indigitatos fines divinitùs immittuntur. Nec verò plausibili aliquâ excusatione hic se tuetur *Wendelinus*, quando, se pœnæ vocem in præsenti *latiùs* accipere, in explicatione §. 4ti profitetur. Quamvis enim jam olim etiam ex Scholasticorum grege *Gabriel Biel* in II. sentent. Distinct. 26. quæst unic. observaverit, pœnæ nomen quandoque in eo generalissimo significatu usurpari, ut quod quodvis damnum seu incommodum, quod est contra subjecti inclinationem, denotet, non habitô respectu ad præviam aliquam culpam, per quam fuerit contractum, ibi tamen, ubi de pœnis peccatorum *ex instituto* agitur, pœnæ vocabulum in proprio strictoque sensu adhiberi oportebat, quô scilicet designat incommodum seu damnum, quod peccato ut tali & non remisso, sed hominem adhuc sub reatu adstrictum tenenti vi justitiæ divinæ vindicativæ debetur: Cujusmodi sanè mala non sunt afflictiones, quæ post peccata condonata piis immittuntur.

§. 6. Sic ergò firmum fixumque manet, pœnæ propriè dictæ *formale* (h. e. id quod pœnæ conceptum communem ac genericum ad

ad esse pœnæ determinat, pœnamque ab omnibus aliis creaturæ rationalis incommodis adæquatè distingvit,) esse respectum ad culpam præviam, cum ea incommodum infligentis intentione, ut culpa illa vindicetur, & injuria, quæ alteri illata est, compensetur, conjunctum.

Th. XIV.

Postquam hactenus peccati naturam, adæquatam mensuram, effectus formales & consequentia edisseruimus, supereſt, ut ejus *causas* & *generalissimas* distinctiones expendamus.

Th. XV.

In tractatu de peccati causis ante omnia notandum venit, quòd illud, si *abstractivè* sumatur, eam sui causam *efficientem* non agnoscat, quæ effectum positivum reali ac positivo influxu producit.

Peccatum enim abstractivè consideratum non est effectus positivus reali ac positivo influxu productus, sed mera privatio.

Th. XVI.

Attamen peccatum concretivè sumtum, si quoad sua *materiale* spectetur, eâ ratio-

ratione causam sui efficientem ut plurimum agnoscit.

§. 1. *Materiale* enim, quod peccatum concretivè acceptum in sua formali ratione involvit, *plerumque* est aliquod positivum ens, nempe vel actio realis vel habitus, vel qualitas connata: Tales autem positiva entitas est effectus positivus à causa efficiente vel positivô realique influxu productus.

§. 2. Notanter dixi, peccati materiale *plerumque esse ens aliquod positivum*, atque adeò *ut plurimum* agnoscere sui causam efficientem eâ ratione acceptam. Interdum enim materiale peccati est omissio actus lege præcepti: quæ quamvis cum reali aliqua volitione, tanquam actu quodam positivo, coujuncta esse soleat, in se tamen non est positiva aliqua entitas, sed mera actus positivi negatio. Cæterùm extra peccata omissionis materiale illud, quod peccatum concretivè sumtum in conceptu suo importat, semper est positivum quippiam, idque vel actio quædam, vel qualitas connata aut acquisita.

Th. XVII.

Ac licet peccatum *abstractivè* sumtum (h. e. ipsa peccaminositas) causam sui efficientem eâ ratione acceptam respuat,

ſpuat, habet tamen cauſam ſui *efficientem moralem*.

§. 1. Quod ipſa peccaminoſitas ſeu ἀνομία cauſam ſui efficientem in certo genere, (cauſam videlicet efficientem *moralem*) agnoſcat, ipſa docet Scriptura, quando 1. *Joh.* III, 4. ait: πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν (h. e. *omnis faciens peccatum*, ſeu omnis cauſa efficiens peccati) καὶ τὴν ἀνομίαν (h. e. *etiam facit peccaminoſitatem*, ſeu eſt quoque peccaminoſitatis i. e. carentiæ conformitatis cum lege cauſa efficiens). Scilicet qui peccat, peccaminoſitatem ſeu ἀνομίαν efficere dicitur, non quod ipſum effectum velut poſitivum reali ac poſitivo influxu efficienter producat, ſed quòd illud, cum quo ἀνομία aliqua conjuncta eſt, vel directè, vel indirectè intendat, ac conferat aliquid, cujus intuitu ipſi, tanquam veræ cauſæ, ἀνομία imputari poteſt. Sic & *Matth.* VII, 23. οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν h. e. *operantes carentiam conformitatis cum lege*, & *cap.* XIII, 4. ποιοῦντες τὴν ἀνομίαν, i. e. *facientes carentiam conformitatis cum lege* nominantur. Nec enim ulla nos ratio cogit, ut B. *Bajero*, ἀνομίαν ll. cit. commemoratam Theol. Poſ. Part. II. c. Joh. IX. not. (b) propriè & abſtractivè accipienti contradicamus, & cum B. *Calovio* (ita Syſtem. Loc. Th. Tom. V. c. II. §. IX. ſentiente) eam ibi concretivè ſpectandam, & τὸ ἄνομον intelligendum eſſe exiſtimemus; Certè quod Magnus *Calovius* pecca-

peccatum *formaliter*, & in abstracto acceptum, non tàm esse, quàm deesse, nec causam efficientem, sed deficientem agnoscere ait, id nil aliud evincit, quam peccatum formaliter spectatum, Lex. ἀνομίαν propriè in se, & ut abstractum est, acceptum nullam sui causam efficientem physicam habere.

§. 2. Idem illud assertum nostrum, quòd peccatum *abstractivè* sumtum causam sui efficientem moralem agnoscat, ex ipso ejusmodi causæ indole & natura patescit. Ea enim causa non rarò in illà accipitur amplitudine, ut denotet *causam directè vel indirecte intendentem*, (sive mediatam, sive immediatam) *atque aliquid, cujus intuitu ipsi tanquam veræ causæ effectus* (sive positivus, sive privativus) *imputatur, conferentem*. Atqui datur omninò aliquid, quod peccaminositatem ipsam, seu peccatum in abstracto acceptum, directè vel indirectè intendit, ac confert reapse quippiam, cujus intuitu ipsi, tanquam causæ veræ, peccaminositas ut effectus imputatur. Nimirum ille peccaminositatem intendit, confertq; actu aliquid, cujus ratione ipsi ut causæ peccaminositas imputatur, qui id cum quo ἀνομία connexa est, directè vel indirectè ita intendit, ut ex hac intentione (si scilicet sermo est de peccaminositate, quam peccatum aliud quàm ipsa peccaminosa intentio, involvit] illud ipsum, cum quo ἀνομία conjuncta est, reapse sequatur. Unde e. gr.

pecca-

peccaminositatis, quam homicidium implicat, causa moralis est is, qui homicidium directè vel indirectè ita intendit, ut intentionem hanc homicidium reverà consecutum fuerit. Consimili ratione peccaminositatis illius quam in se involvunt liberorum peccata, causa moralis sunt parentes liberis nimium indulgentes, quia dum indulgentiam nimiam directe intendunt, simul quoque liberorum peccata indirectè ita intendunt, ut ex hacce intentione delicta sobolis omninò proveniant. Dixi autem studiò in præcedentibus: *Si sermo est de peccaminositate, quam peccatum aliud, quàm ipsa peccaminosa intentio, involvit.* Nam ad peccaminositatis illius, quam ipsa peccaminosa intentio arguit, causam moralem sufficit, si quis id, cum quo ἀνομία individuò nexu conjuncta est, ita intendat, ut illam connexionem sciat, certè scire debeat; prout e. gr. peccaminositatis, quam intentio furti implicat, causa moralis est, qui furtum intendit, etsi posteà principiò aliquò extrinsecò præpeditus furtum ipsum actu non committat.

§. 3. Nostrum de peccati causa efficiente dogma (quòd scil. peccatum quà tale non quidem causam efficientem effectus positivi productivam, tamen causam sui efficientem moralem agnoscat] jam olim S. *Augustinus* subtiliter tradidit, quando Libr. XII. de Civ. Dei c. VI. & VII. an malæ voluntatis [h. e. volitionis

nis actualis, quâ natura rationalis fertur ad illicita] possit dari causa efficiens? inquisivit, ac deinceps voluntatis illius *non* esse *efficientem*. sed *deficientem* causam, pronunciavit. Nam per causam *efficientem*, intelligit præcisè causam efficientem, quæ realiter ac positivè influit in esse effectus positivi; & causæ *deficientis* notionem accipit pro eâ causa morali, quæ non tantùm potius in *defectum* & privationem in carentiam τοῦ esse, quàm in esse positivum influit, verùm etiam, dum confert aliquid, cujus intuitu ipsi peccatum ut tale imputatur, à DEO, & à lege Dei æterna tanquam regulâ sibi præscriptâ *deficit*, & sit *deficiendô* peccati, ut talis causa existit. Quæ Hipponensis antistitis mens cùm ex ipsis citati Libri XII. de C. D. capitibus 7. 8. & 9. tùm partim ex ejus de gratia Christi contra *Pelagium* & *Cœlestinum* consignato libro, ac hujus quidem capite decimo nono, elucescit. Quippe Libr. XII. de C. D. cap. IX. acutè scribit: *Cùm ergò malæ voluntatis efficiens NATURALIS* (seu physica), *vel, si dici potest, ESSENTIALIS nulla sit causa: ab ipsa quippe incipit spirituum mutabilium malum, quô minuitur atque depravatur natura bonum; nec talem voluntatem facit nisi DEFECTIO, quâ deseritur DEus: cujus defectionis etiam causa utique deficit.* Et cap. VII. *Nemo ergò quærat efficientem causam malæ voluntatis. Non enim est efficiens, sed deficiens: quia nec illa effectio est, sed defectio, defectio namq; ab eo, quod summè*

summè est [à Deo], *ad id, quod minus est*, [ad creaturas] *hoc est incipere habere malam voluntatem.* Nec non cap. VIII. *Deficitur non ad mala, sed malè: id est, non ad malas naturas, sed ideò malè, quia contra ordinem naturarum ab eo, quod summè est, ad id, quod minus est* [h. e. quia peccator, qui ab immutabili bono, Deo, avertitur, constituit sibi ultimum finem in creatura, & creaturæ seu bono commutabili DEum postponit]. Item L. de Grat. Christ. c. 19. *Malam*, inquit, *arborem homo facit, quando se ipsum malum facit, quando à bono incommutabili deficit: Ab hoc quippe bono defectus est origo voluntatis malæ.*

Th. XVIII.

Non autem nisi natura cum cognitione agens & libera (h.e. substantia quædam intellectu & voluntate pollens) peccati ut talis, seu ipsius peccaminositatis causa moralis est.

Nam (1) ad causam moralem quamcunque intentio propriè dicta requiritur; at nil, nisi natura intellectu & voluntate prædita, propriè loquendô intendit, cùm intentio propriè sit actus, quô voluntas in objectum ab intellectu cognitum tendit, idque appetit seriò ut efficiendum aut obtinendum. [2] Peccatum ut tale est quædam *ἀνομία*: Est *ἀνομία* non nisi à causâ intellectu instructâ provenire potest; Ut

enim legi conformiter agere non potest substantia, nisi quæ intellectu & voluntate pollet, & quæ lex jubeat vetetve, intelligit; ita nec exorbitare à lege aut legi non conformiter agere propriè dicitur, nisi quæ intellectum & voluntatem possidet.

Th. XIX.

Speciatim *bruta* propriè loquendô non peccare, liquidò ostendunt Moralistæ.

§. 1. Si enim bruta propriè peccarent, non alio, quàm actuali, peccatô contaminarentur. Ast actualis peccati bruta non esse capacia, nemo non intelligit. Quamcunque enim creaturam lex, tanquam norma, non obligat, ea peccatum actuale patrare nequit [cum peccare actu sit facere quid contra legem, velut normam obligantem). Atqui bestias lex, tanquam norma, non obligat (cùm substantiis, à quibus ratio exulat, ut, quæ lex præcipit aut prohibet, cognoscere nequeant, lex, velut norma obligans, frustrà ponatur].

§. 2. Quanquam negandum non sit, bestias multa agere, quæ si homines agerent, peccarent, quandoque etiam facere id, quod si homines agerent, legi conformiter viverent.

Th. XX.

Cæterùm illæ intellectu & voluntate præ-

te præditæ naturæ, à quibus tanquam à causa efficiente peccatum provenire potest ac provenit, sunt Diabolus, & homo ad bonum non determinatus.

§. 1. Loquor de *homine ad bonum non determinatô*. Beati enim, utpote peripsam suam beatitudinem ad bonum formaliter determinati, hôc ipsô, quod ad bonum determinati sunt, nullâ ratione peccare queunt.

§. 2. Nostra autem thesis quoad rem est ipse *Augustana Confessionis* articulus XIX. qui totus ita habet: *De causa peccati docent* [Ecclesiæ apud nos], *quòd tametsi DEus creat & conservat naturam, tamen causa peccati sit voluntas malorum, videlicet Diaboli & impiorum, qua, non adjuvante Deo, avertit se à Deo, sicut Christus ait Joh. 8. Cùm loquitur mendacium, ex se ipso loquitur.*

§. 3. Certè Diabolus est causa efficiens peccatorum, quatenus cùm ipse immediatè peccat, tùm ad peccata hominum causaliter & effectivè concurrit.

§. 4. Immediatè peccare Satanam, liquet inprimis ex *Joh.* IIX, 44. ubi Diabolus dicitur *homicida, loqui mendacium ex propriis, mendax*, & sic ipsi, ut causæ immediatè agenti, peccata, e. gr. homicidium, mendacium, adscribuntur. Id ipsum patet ex I. *Joh.* III, 8. ubi *Diabolus ab initio peccare* perhibetur.

§. 5. Satanam porrò ad peccata actualia, quæ homines impii quotidiè committunt, per modum causæ concurrere, quis negabit? Is quippe non solùm lapsus protoplastorum, ex quo peccatum originis, velut omnium hominis peccatorum actualium fons & origo, ortum est, persvadendô auctor extitit, verum etiam hodiè voluntatem hominis ad peccandum inducit. Hinc *Joh.* VIII, 44. homines calumniatores *ex diabolo esse, & desideria patris sui facere* perhibentur, itemque 1. *Joh.* III. *faciens peccatum ex Diabolo esse* dicitur. Scilicet homines mali & calumniatores in locis allegatis non spectantur *materialiter*, h. e. quoad naturam seu substantiam humanam, sed *formaliter* & ut tales, i. e. quà mali & calumniatores. Argumentamur ergò hunc in modum: *A quocunque tanquam à patre homines mali & calumniatores, quoad calumnias & malitiam spectati, proveniunt, is est peccatorum causa* (cùm Pater in rebus creatis sit vera ac realis causa ejus, cujus dicitur pater). *Atqui à diabolo tanquam à patre homines mali & calumniatores, quoad calumnias & malitiam spectati, proveniunt* (quod ll. cit. Scriptura testatur). *Ergò* &c.

§. 6. Mortales autem miseri *voluntate suâ* peccatorum suorum causa evadunt, quatenus (1) diaboli suggestionibus suisque concupiscentiis pravis sponte obtemperant, & ad hanc vel illam actionis peccaminosæ speciem liberè

se

se determinant, (2) actionibus pravis, voluntariis habitum peccandi, ad producendos actus malos consimiles fortiùs inclinantem, sibi attrahunt, [3] per peccata actualia spontanea liberè Spiritus sancti gratiam excutiunt, quâ ablatâ de peccato in peccatum prolabuntur, & ita (ut Apostolus *Rom.* I, 28. ait,) dantur in reprobam mentem.

Th. XXI.

DEus verò, etsi sit natura intellectu & voluntate prædita, non tamen peccati vera causa dici potest. Quin imò ne quidem cum additamento *per accidens* Sanctissimum Numen peccati causam nominare licet.

§. 1. DEum nullâ ratione veram peccati causam esse, Theologi multis evincunt argumentis, ex quorum numero nunc aliquot saltem percensebo. Videlicet (1) *Gregorius Nyssenus* Orat. Catech. V. præclarè argumentatur: *Clarum est id quoque, quod de eo dicendum est, nullius mali ortus initium duxit ex Dei voluntate. Reverà enim nulli reprehensioni affine esset vitium, ut quod sui effectorem & patrem DEum sibi adscriberet.* Argumentum in forma hoc est: *Cujucunque auctor & effector DEus est, illud est bonum, & ab omni reprehensione immune* (quia quæcunque DEus fecit, omnia bona sunt Gen. II, 31.)

Sed peccatum non est bonum, nec ab omni reprehensione immune (quia legi DEI æternæ ac immutabili adversatur). *Ergò peccati auctor & effector DEus non est.* (2) *Augustana Confessio* in art. XIX. ubi Deum peccati causam non esse contendit, provocat unicè ad illud Christi dictum *Joh.* VIII, 44. *Diabolus cùm loquitur mendacium, ex seipso loquitur.* Hôc ipsô quippe significat Salvator, mendacium esse peculiare Satanæ opus, nec ullâ ratione Deo ut causæ & auctori adscribendum. (3). Apostolus Johannes in I. epist. v. 8. 9. perspicuè docet, quòd *faciens peccatum non sit ex Deo, sed ex diabolo.* Atqui si Deus peccati causa esset, posset etiam ex Deo esse, qui facit peccatum. (4) Si Deus peccati causa dici posset, peccati ut peccati, seu peccaminositatis causa esset. Sed Deus non est peccaminositatis causa. Si enim peccati ut talis seu peccaminositatis causa esset, peccatum ut tale propriè intenderet. DEus enim, cùm omnium effectuum futurorum sit præscius, nec præter intentionem, nec præter ignorantiam effectus suos producit. Ast DEum peccatum quà tale propriè non intendere, manifestum omninò est. Nam (1) summè bonus ac infinitè perfectus est, peccatum autem ut peccatum intendere infinitæ bonitati ac perfectioni repugnat. (2) DEum non velle peccatum, Scriptura abundè testatur, dum non tantùm *Psalm.* V. 5. *Ps.* XLV, 8. *Zach.* VIII, 17. DEum

um non velle peccatum, sed odisse, expresse ait, sed & prohibere & severissimè punire peccatum, *Exod.* XX, 5. seqq. disertè significat. Quod si autem DEus peccatum non vult, sed odit, sanè non intendit: Intentionem enim esse *aliquod velle*, ex præcedentibus constat. Neque verò, DEum peccata velle, exinde eviceris, quòd ipse peccata permittat, atque adeò permittere velit. Dum enim Sanctissimum Numen peccatum permittere vult, non peccatum ipsum, sed permissio peccati negativa fit voluntatis divinæ objectum.

§. 2. Cæterùm quando Deum *nullâ ratione* veram peccati causam esse asserimus, id potissimum nobis objicitur, quòd actus peccaminosi materiale, utpote entitas quædam positiva, à Deo, tanquam à prima & universali causa, per verum ac realem influxum dependeat; adeoque Deus aliquâ ratione peccati vera causa nominari possit. Ast licet ipsi approbemus ac doceamus, quod B. *Calovius* in System. Loc. Theol. Tom. V. c. II. §. IX. scribit: *Cum id, quod materialis vice est in peccato, positivum sit, & à Deo, nullum dubium est, ad id concurrere Deum causaliter & effectivè, siquidem DEus, ceu causa universalis, ad omnes causarum secundarum actiones concurrit*; inde tamen inferri minimè potest, DEum absolutè loquendô veram peccati causam esse. Peccatum enim hoc, quod sit peccatum, non habet à suo materiali, sed à suo formali,

mali, ad quod DEus nullâ ratione per modum causæ concurrit. Quemadmodum igitur [quâ eleganti similitudine in hac doctrina ex Augustino B. *Martinus Chemnitius* Loc. Theol. Part. I. Loc. V. c. V. p. m. 390. utitur] virtus motrix, quæ est in musculis & nervis, non dicitur claudicationis causa, sed claudicatio in curvitatem vel luxationem ipsius tibiæ refertur, etsi ambulatio in se & præciso defectu spectata, quam ut suum materiale claudicatio velut ambulosa quædam defectuosa involvit, ad potentiam locomotivam ut ad causam propriè pertineat: ita & DEum non licet peccati causam salutare, etsi materiale peccati ab ipso per verum & realem influxum dependeat. Hinc Protestantes in *August. Confess.* Art. XIX. scitè inquiunt, quòd, *tametsi DEus creat & conservat naturam, tamen voluntas malorum NON ADJUVANTE DEO, avertat se à Deo.*

§. 3. Alias objectiones, quæ adversus thesin nostram, quòd DEus nullâ ratione vera causa peccati sit, in medium produci solent [e. gr. Scripturam dicere, quòd Deus induraverit cor Pharaonis, præceperit Simei maledictionem Davidis, Israëlitas errare fecerit de viis rectis, homines in mentem reprobam tradat &c.) in synodali nostra de *causis peccati* disputatione diluimus.

§. 4. Nos autem ab impia & pestilenti il-

ti illa doctrina, *Deum peccati causam esse*, usque adeò abhorremus, ut ne quidem formulam illam, *Deum esse peccati causam per accidens*, toleremus. Etsi enim locutio illa sensu nihil incommodi habente explicetur, eam tamen, cùm *scandalosa* sit & *profana*, explodimus.

§. 5. Nonnulli phrasin illam, quam usurpant, ita interpretantur, ut dicant, se non intelligere causam per accidens *ex parte causæ* (h. e. illud principium, à quo quidem, sed non ut tali, aliud revera dependet), sed causam per accidens *ex parte causati* (h. e. agens illud, quod est vera causa alterius, sed non alterius quà talis]. Quo quidem sensu, inquiunt, negari non posse, Deum esse peccati causam per accidens, siquidem peccatum actuale commissionis concretivè sumtum non quà peccatum, seu quoad suum formale, sed quoad suum materiale, seu quatenus præcisè est actio, à Deo, ut causâ primâ & universali, effectivè dependeat, atque hoc ipse B. *Calovius*, maximus phraseos istius oppugnator, doceat, dum *Deum* l. c. ait *concurrere ad peccatum certâ ratione*, nempe *ad id, quod materialis vice est in peccato, concurrere causaliter & effectivè*. Alii formulam illam sibi usitatam eò pactò explicant, ut sibi duntaxat de ea causâ per accidens sermonem esse contendant, quæ planè non est vera causa ejus, cujus dicitur causa per accidens, sed est vera causa alterius, quod

conjungitur cum eo, cujus ipsa est causa per accidens. Atque hôc prætendunt sensu phrasin illam, quæ Deum peccati causam per accidens esse asserit, negare prorsus, quòd Deus sit vera peccati causa, cùm nihil aliud subinnuat, quàm quòd DEus non sit causa peccati, sed tantùm effectus, cum quo peccatum præter Dei, intentionem & absque ullo ejus influxu conjungitur.

§. 6. Ast quocunque sensu phrasis illa explicetur, quibuscunque coloribus pingatur & excusetur, certum omninò manet, quòd ipsa *scandalosa* sit ac *profana*, & idcircò prorsus fugienda.

§. 7. *Scandalosa*, inquam, est formula illa, h. e. ita comparata; ut aliis ansam & occasionem graviter errandi facilè præbeat. Quotusquisque enim est etiam inter eruditos, qui scholasticas causarum per accidens distinctiones & naturam causæ peccati per accidens ex parte causati penitùs intelligat, atque id assequatur, causam per accidens ex parte causati non semper esse veram causam ejus, cujus causa per accidens adpellatur? Quotusquisque est, qui non contrà potiùs, ubi Deum peccati causam per accidens esse audit, svadente familiari usu & cogitatione quasi naturali sibi formet conceptum de vera causalitate, nempe Deum esse quidem peccati causam, per accidens

au-

autem fieri, ut Deus illud efficiat? Quicquid enim per accidens fit, revera fit, & quod per accidens producitur, revera producitur. Hinc ipse *Aristoteles* Libr. II. Phys. c. X. Text. 50. promiscue causam per accidens pro vera causa habet, dum non solùm scribit: *Sicut ens aliud per se, aliud per accidens, ita etiam causa*, verùm etiam causam per se & per accidens non ut verum & non-verum, sed ut ὡρισμένον & ἄπειρον distinguit.

§. 8. Quod si autem phrasis illa adeò *scandalosa* est, ut svadente familiari usu & cogitatione naturali sensum pravum & hæreticum in suis lectoribus & auditoribus generet, summô sanè studiô *vitari* debet. Apostolus enim *Rom.* XIV, 15. 20. comestionem carnis alias licitam vetat, si sciamus, fratri scandalum inde oriturum. Et Moralistæ passim in suis de scandalo commentationibus docent, quòd, si credam saltem, etsi non exactè sciam, proximum rebus indifferentibus malè usurum, tenear illi eas non vendere. *Vid. Ferdinandus* de *Castro Palao* Oper. Mor. P. I. Tr. VI. Disp. VI. Punct. IIX. seqq. Multò magis igitur scandalosis istiusmodi phrasibus in doctrina fidei & morum abstinere decet.

§. 9. Eadem, quam hîc detestamur, formula etiam admodùm *profana* est, quia (uti vel ex naturalis juris Doctoribus *Samuel Pufendorf-*

fius

ſius Libr. I. de Jur. nat. & gent. c. V. §. 3. monet) *ne quidem cum additamento τῆς per accidens pium eſt, cauſam mali nominare omnis boni fontem.* Atqui *de Deo* (quam de modis loquendi diligentiam B. *Martinus Chemnitius* Part. I. Loc. V. c. 8. totidem verbis commendat) *rectè & piè ſentire, & REVERENTER loqui debemus, ne abſurdis & prodigioſis loquendi formulis ſanctum nomen Dei in vanum aſſumamus,*

§. 10. Totam, quam hactenus evici, theſin à rerum humanarum primordio in hunc usque diem vel apertis verbis, vel obliquè & per conſequentiam multi variique mortales ivere deſtructum. Scitè B. *Chemnitius* l. c. monet, eam in loquendo petulantiam, quæ peccatum ad Deum tanquam ad cauſam refert, ſtatim unà cum peccato ingreſſam eſſe in mundum, cùm Adam de peccato interrogatus reſponderit Deo *Gen.* III, 12. *mulier, quam Tu mihi ſociam dediſti, ipſa dedit mihi, & comedi,* id eſt, [ut B. *Lutherus* commentar. in h. l. interpretatur) *hôc incommodô Tu me oneraſti; ſi mulieri dediſſes proprium aliquem hortum, nec me ejus cohabitatione oneráſſes, manſiſſem ſine peccato: quod igitur peccavi, tua culpa eſt, qui addidiſti mihi uxorem.* Obſervat ibidem *Chemnitius* porrò, jam Siracidis ætate (ducentis nimirum ante natum Salvatorem annis) eos, qui puram de veris peccati cauſis doctrinam turbârunt, uſos eſſe illis formulis: *Defeci impulſu Domini; Ipſe me ἐπλάνησε*

[h. e.

(h. e. in errorem induxit). Vid. *Sirac.* c. XV. v. 11. 12. Scribit & laudatus Theologus, *Jacobum* c. I. v. 13. & 14. notare illas formulas blasphemiæ: *Deus tentat ad malum*, ἐξέλκει καὶ δελεάζει (h. e. trahit & allicit ad peccatum). Prioribus post natum Christum seculis *Simonianos, Saturninianos, Gnosticos, Valentinianos, Cerdonianos, Marcionitas, Manichæos, Priscillianistas, Apellitas, Seleucianos*, & cœteros, quos B. *Calovius* System. Tom. II. fol. 332. seqq. notavit, in Deum, tanquam in causam, peccatum derivâsse, in mea de *peccati causis* synodali dissertatione copiosiùs ostendo. Nec enim *Simonem Magum, Valentinum, Cerdonem, Marcionem, Manetem*, ex eorum, qui DEum peccati autorem faciunt, censu eximere fas est; quod tamen *Christophorum Arnoldum* in der Kirchen- und Ketzer-Historie perperàm egisse, in eadem disputatione doceo. Ex *Pontificiis* thesi nostræ adversantur omnes *Dominicani* [quos, dum DEum omnes ac singulas actiones omnium causarum secundarum propriè strictèque loquendò prædefinire ac prædeterminare statuunt, eum omnium peccatorum causam facere, in Systematis hujus Parte I. Loc. VI. pag. 1042. seq. demonstravi]; nec non *Gabriel Biel* (quem itidem, quando IV. sent. dist. 2. qu. 1. & 3. creaturas nihil omninò propriè agere, sed DEum ad earum præsentiam omnia efficere docuit, DEum pro cujusque peccati actualis auctore habere l. c.

pag.

pag. 1016. ostendo); *Franciscus Costerus*, (qui *Deum in cæde, quam latro committit, cum latrone operari, hominemque occidere* in Enchiridio suo scribit); *Malebranchius*, oratorii Parisiensis presbyter (qui suis *ideis, legibusque*, quas Deo affingit, *simplicibus semel latis, deinceps non revocandis*, Deo peccati culpam haud obscurè tribuit.)

§. 11. Utrum *Ecclesia Calvino-Reformata ab eorum stet partibus, qui Deum peccati autorem atque causam constituunt?* hodie disputatur. Recentiores *Reformati* accusationem illam, quòd ipsi Deum peccati autorem esse censeant, tantoperè deprecantur, ut synodus *Dordracena* in prim. capit. Doctr. art. XV. ita decreverit: *Deum peccati autorem Ecclesia Reformata non solum non agnoscunt, sed etiam toto pectore detestantur. Quare, quotquot nomen Servatoris nostri Jesu Christi invocant, eos Synodus hæc per nomen Domini obtestatur, ut de Ecclesiarum Reformatarum fide non ex coacervatis hinc inde calumniis, vel etiam privatis nonnullorum, sive tum veterum, tum recentium Doctorum dictis, sæpè etiam aut mala fide citatis, aut corruptis, & in alium sensum detortis, sed ex publicis ipsarum Ecclesiarum Confessionibus judicent &c.* Hinc & *Benedictus Pictetus*, Theologus Genevensis, in Dissert. de *consensu ac dissensu inter Reformatos & Augustana Confessionis Fratres* c. IV. §. XVII. p. m. 83. *Absit*, fatur, *ut Dei Sanctitatem impugnemus, & eum peccati authorem esse dicamus. Hinc blasphemam impietatem detestamur. Quod si quadam phra-*

ses

ses duræ exciderunt nostru Theologu, haud mirandum, cum ipsa Scriptura dicat, Deum induraſſe cor Pharaonis, præcepiſſe Simei, ut malediceret Davidi, dediſſe Spiritum mendacii in Ore Prophetarum, mittere efficaciam erroris, impinguare cor populi, aures aggravare &c. Ex ipsis illis, qui *Lutheranorum* cœtibus sese associant, Theologis Dn. D. *Johannes Fabricius*, Professor Helmstadiensis famigeratissimus, in *consideratione variarum controversiarum* Part. ult. (ubi id agit, ut Reformatos fundamentum fidei & salutis sartum tectumque servare evincat, atque adeò pacis & concordiæ ecclesiasticæ cum illis ineundæ viam aperiat) pag. 573. apertè inficiatur, *Reformatorum dogmata ita esse comparata, ut iis doctrina de Dei veritate, justitia, misericordia & omnipotentia ladatur*, atque hoc ipsum B. nostrum *Gerhardum* in L. de Prov. n. 136. confessum esse contendit.

§. 12. Verum enim verò, tota re per multos annos, inprimis ubi mihi Professori olim Jenensi certamen cum Reformato Doctore Marpurgensi, *Samuele Andreæ*, subeundum erat, diligenter & absque omni partium studio expensâ, non possum non aliter judicare, quàm quòd Reformatorum cùm veterum tùm recentiorum, cùm Universalistarum tùm Particularistarum, dogmata sic comparata sint, ut Divinam justitiam, veritatem, & sanctitatem destruant, quodque omnes illi Deum peccati autorem

torem esse doceant. Videlicet quod attinet ad veteres ecclesiæ hujus Doctores, *Johannem Calvinum, Huldericum Zvvinglium, Martinum Bucerum, Petrum Martyrem, Hieronymum Zanchium, Theodorum Bezam, Johannem Piscatorem*, pluresque alios, nostrates, inprimis *Quenstedius* Tom. II. c. II. s. 2. Qv. 4. & alii à B. *Pfeiffero* in Calvin. c. II. §. IV. allegati, productis in medium eorum verbis perspicuè ostenderunt, ipsos extra omnes verecundiæ ac piæ modestiæ orbitas ita fuisse abreptos, ut expresè DEum nunc peccati *autorem*, nunc *causam*, eamque nunc *absolutam* & *simplicem*, nunc *primam, supremam, caterasque antegredientem*, nunc *præcipuam*, nunc *vocantem*, nunc *decernentem* & *ordinantem*, nunc *instigantem*, nunc *creantem*, nunc *occasiones exhibentem*, nunc *cogentem & impellentem*, nunc *simpliciter efficientem* statuerent. Quod impium & blasphemum dogma totius veteris Calvino-Reformatæ Ecclesiæ fuisse, exinde meritò colligimus, quòd memoratorum virorum horrendæ locutiones ab ipsa non fuerint in iis damnatæ, sed, dum eos, suos tanquam Doctores publicos, suo gremio fovit & velut egregios cœtuum suorum antesignanos magnopere suspexit, aperto, vel certè tacito consensu approbatæ, doctrinarum quippe in ea publicè sonantium sensum & consequentias apertius enucleantes. Cæterùm vehementer mirari hic subit, quod Dn. D, *Fabricius*, Helmstadiensis Theologus,

ologus, contra tot magnorum Lutheranæ Ecclesiæ Doctorum judicia *Calvinum* ipsum à detestabili illo dogmate, *Deum esse peccati autorem & causam*, absolvere l. c. novissime ausus sit. Sanè enim non tantum ex illis *Calvini* sententiis ac hypothesibus: *hominem non esse agens à necessitate liberum, sed omnia agere necessariò & quidem ex necessitate per divinam providentiam impositâ; Deum præscivisse, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, & ideò præscivisse, quia decreto suo sic ordinaverat*; per legitimam & irrefragabilem consequentiam doctrina de *Deo peccati autore & causa* fluit, sed & ipse ille hæresiarcha disertè Lib. II. Instit. Christ. Relig. c. 4. & c. 5. pronunciavit, *Deum Pharaonis cor per hoc induraſſe, quod ipsius pectus non tantùm non emolliverit, sed & obstinatione confirmandum Satanæ mandaverit, Deum populi Israëlitici hostes destinatò ad id ipsum, ut populum suum odio haberent, inflexisse, Satanæ ministerium intercedere ad reprobos instigandos, quoties huc atque illuc Dominus providentia sua eos destinat, diabolum Dei spiritum vocari, quia ad ejus nutum potentiamque respondet, instrumentum magis ipsius in agendo, quam à se ipso autor*, & Libr. III, c. 3. & 4. *verissimum esse, quod Deus sit author criminis, quod reproborum conscientiis insculptum subinde eorum oculis recurrit, hominesque ad eam, quæ nunc pro damnationis causa obtenditur, corruptionem Dei ordinatione prædestinatos antè fuisse, & cùm in sua corruptione pereunt, nihil aliud quàm pœnas luere ejus calamitatis, in quam ex prædesti-*

natione lapsus est Adam, ac posteros suos praecipites secum traxit, universos filios Adam in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam [h. e. in peccatum] *Dei voluntate decidisse, atque hic redeundum tandem semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus causa sit in ipso abscondita.* Cohorrescit, credo, omnis pius animus, horrida illa *Calvini* pronunciata audiens. Annon enim omnes sanâ ratione utentes, sapientes pariter ac plebeji, judicabunt, illos pro peccatorum omnium, etiam atrocissimorum, *causâ* & ea quidem *principali*, *primaria* ac *ultima*, Æternum Numen *manifestò* habere, qui expressè diserteque ajunt, Deum ita esse criminis autorem, ut malos homines ad peccatum ab æterno prædestinaverit, destinatò ad peccata etiamnum inflectat, satanæ, tanquam instrumenti ad divinæ voluntatis nutum, non autem ex se ipso operantis, ministeriô ad reprobos versus ea peccata, ad quæ divinâ providentiâ destinati sunt, instigandos utatur, ut, quando de peccatorum omnium origine quæritur, ad ipsius solum liberum arbitrium, cujus causa sit abscondita, tandem redeundum sit? Et annon illa ipsa *Calvini* pronunciata sic comparata sunt, ut iis *doctrina de Dei veritate*, *justitia & misericordia* prorsus evertatur? Nec enim verax ille censendus est, qui suo equidem verbo, iniquitatem se nolle, exteriùs profitetur, sed omnis criminis autor est, omnes peccatores ad peccatum prædestinavit,

navit,

navit, & ad peccata destinatò inflectit. Certè omnis prædestinatio est decretum, omneque decretum efficacem quandam voluntatem formaliter importat. Nec verò judex ille justus reputandus est, qui subditos ob id horrendis suppliciis afficit, quod patrarunt ea, ad quæ ab ipso voluntate immutabili, irresistibili, ac absoluta prædestinati, ac deinceps instigati, & inflexi fuere. Neque tandem misericors erga homines miseros est, qui tàm crudeliter iis illudit, ut æternis & exquisitissimis doloribus excruciet ob calamitatem, in quam ipsius absoluta & immutabili prædestinatione lapsi sunt. Quæ omnia agnovit olim *Fabricij* in academia Helmstadiensi antecessor, D. *Georgius Calixtus*, quippe qui, ut ut etiam detestabilem Syncretismum machinatns fuerit, rei veritate constrictus in *Epit. Theol.* p. m. 98. invehitur in *Calvinum*, quòd *impiè docuerit, homines Dei ordinatione & decreto in peccatum exitiumque prolapsos esse.*

§. 13. Quod verò ad recentiores Doctores Reformatos, inprimis sic dictos Universalistas, attinet, plerique illorum cautius longè, magisque circumspectè, quàm *Zvvinglius*, *Calvinus* & alii ejusdem furfuris viri, loquuntur, Deum peccatiauctorem causamque esse, strenuè inficiantes. Ex magno scriptorum illorum numero unum nunc in medium produco *Nicolaum Arnoldum*, Franequeranæ academiæ Professorem, qui *Luc. in Tenebr. in V. T. & in N.*

T. quatuordecim argumentis demonstrat, Deum nullo modo peccati causam esse. Hic quippe id exinde infert, quia (1) *Deus est judex peccati*, (2) *quia Deus peccatum odit, nihil verò eorum odit, quæ fecit*; [3] *quia qui quocunque modo est autor peccati, est peccator*; (4) *quia Deus non est autor ullius rei, quâ homo, tanquam effectum ejus, fiat pejor, cùm nullus artifex conferat aliquid ad destructionem operis sui*; (5) quia *Deus fieret hypocrita, idem vetans, idem faciens*; (6) quia *destructio nostra ex nobis est, Hos.* XIII, 9. [7] *Salvator dicit Joh. VIII, 44. Dum Satan mendacium loquitur, de suo loquitur*; (8) quia *Christus flevit super calamitate Hierosolymæ, multò magis ergò super peccato, tanquam causa, super quo autem flevit, illius causa dici non potest*; [9] quia *mos tyrannorum est, severas sancire leges, & tum cogere homines, ut in eas impingant, quò habeant justas puniendi species*; (10) *Deus non posset esse judex mundi*; [11] *forent in Deo duæ contrariæ voluntates*; (12) *impii essent extra omnem culpam, omnis verò culpa in Deum devolveretur*; [13] *homines non haberent causam dolendi super peccato suo, sed potius gaudendi, facientes scilicet id, cujus Deus est autor*; (14) quia *Deus, cum velit homines salvari, etiam vult eos uti mediis salutem promoventibus, & consequenter non vult efficere peccata salutem impedientia.*

§. 14. Ast quicquid sit de illo, quo recentiorum *Reformatorum* lingva & calamus circumfluunt, loquendi modo, salvâ veritate cœlesti

lesti & conscientiâ non possumus aliter judicare quàm quòd illi quoque Deum peccati causam, & autorem constituant, ipsorumque etiam doctrina ita comparata sit, ut Divinam justitiam, veritatem & sanctitatem lædat & evertat. Quæ enim doctrina ex alterius assertis per se ac necessariò consequitur, hæc alterius esse rectè censetur. Id quod ex recentioribus Logicis ipse profitetur *Johannes Claubergius*, quando in Logica veteri & nova Part. III. c. X. quæstionem illam: *an ea quoque sententia tribuenda sit auctori, quæ ex ejus verbis sequitur?* ita decidit, ut concludat, *si consequentia justa sit & legitima, & quæ satis agnosci possit ab ipso auctore, omninò statuendum esse, eum id velle ac sentire, quod ex verbis elicitur.* Hinc ea quoque doctrina in Scriptura Sacra contineri dicitur, quæ quidem explicitè ac totidem verbis ibi non habetur, sed tamen ex his, quæ ibidem expressa leguntur, per consequentiam legitimam ac facilem colligi & cognosci potest; prout *Gregorius Nazianzenus* jam olim dixisse fertur, *quædam inesse in Scriptura Sacra & dici, quædam inesse in Scriptura Sacra & tamen non dici.* Acqui ea asserta *Reformati* recentissimi tradunt, ex quibus per se ac necessariò sequitur, Deum ita esse peccati causam, ut homini peccandi necessitatem imponat, atque adeò ex commisso crimine nulla culpa in hominem, omnis in solum Deum redundet. Docent quippe, *hominem libertate à necessitate ca-*

rere, quicquid facit, non posse non facere, atq; in omnibus, suis actionibus tàm bonis quàm malis, divinæ directionis necessitati obnoxium esse, & per directionem ac providentiam divinam ad actiones singulas determinari. Dicta & loca *Reformatorum* vide allegata in *Philos.* nostra *Moral.* p. 295. seqq. Quibus hic subjungo, quod *Johannes Bergius* im Unterscheid und Vergleichung der Evangelischen Kirchen qv. 81. ait: Wiewohl es freylich die Wahrheit ist / daß die Dominicaner in dieser gantzen Lehre mit den Unsrigen einstimmen. Si igitur homo, quicquid facit, non potest non facere, & in omnibus suis actionibus, tàm bonis quàm malis, divinæ directionis necessitati obnoxius est, atque per directionem divinam ad actiones singulas determinatur (h. e. ita movetur, ut non possit non agere); sanè, quando peccat, non potest non peccare, & per directionem divinam ad peccata ita movetur, ut non possit non peccare. Quod si autem homo, quando peccat, non potest non peccare, & quidem ideò, quia à Deo ad peccandum determinatur, seu ita movetur, ut non possit non peccare, certè *necessariò* ex *necessitate* per directionem & providentiam divinam sibi impositâ peccat: Nam non posse non agere idem est quod necessariò agere, & aliquem ad agendum ita movere, ut non possit non agere, idem est ac ad agendum necessitare. Quod si ergò homo ex necessitate per directionem ac motionem divinam sibi injunctâ delinquit

quit, *Deus vera causa peccati est.* Si enim in omni jure tàm naturali, quàm divino & humano, is pro vera peccati causa habetur, qui mandando, vel persvadendo saltem alterum ad peccatum committendum movet, multò magis peccati causa Deus erit, si [qnod *Dominicani* juxta & *Reformati* sentiunt) per directionem ac motionem suam hominibus peccandi necessitatem imponit. Is enim, qui alterum mandando aut persvadendo ad scelus committendum movet, nullam peccandi necessitatem alteri adfert, Deus verò (secundùm *Reformatorum doctrinam*) per prædeterminationem ac prædefinitionem in peccatoribus peccandi necessitatem inducit. Si verò Deus ita est peccati vera causa, ut homini peccandi necessitatem imponat, ex patrato crimine nulla culpa in hominem, omnis in solum Deum recidet. Quando enim duæ causæ, quarum una est necessaria, altera libera, ad unum effectum concurrunt, tum culpa, si quæ ex eo nascitur, non in causam necessariò agentem, sed in causam liberam redundat. Vid. ea, quæ in Part. I. pag. 1043. hanc in rem attulimus. Scitè ex pervetustis Philosophis *Salustius* in Libr. de *diis & mundo* cap. IX. scribit: Τὸ δὲ ἀδικίας τε, καὶ ἀσελγείας ἐκ τῆ Εἱμαρμένης διδόναι, ἡμᾶς μὲν ἀγαθὰς, τὰς δὲ θεὰς ποιεῖν δὲ κακὰς, h. e. *injusta facta, & scelera per lasciviam patrata ad fatum referre idem est quod nos bonos, Deos autem malos efficere. Grotius*

quoque in opusc. de *dogmatis reipublicæ noxiis* sapienter monet, eos, *qui liberum arbitrium tollunt, evadere vix posse, quin Deum omnium scelerum causam faciant, quod in rep. minime tolerandum.* Et *Pufendorffius* Libr. I. de Jur. Nat. & Gent. c. IV. §. 3. contendit, actionem humanarum moralitatem funditus ab iis tolli, *qui physicam prædeterminationem in actibus humanis fingunt, ex qua ipse quidem motus in se, ut consideratur tanquam ens physicum, à causa prima ita sit determinatus, ut non possit non eo, quo determinatus est, modo fieri, cui deinde à causa secunda moralitas accedat.*

§. 15. Dum igitur juxta Reformatorum doctrinam *Deus ita omnium scelerum causa est, ut peccatoribus omnibus peccandi necessitatem imponat, atque adeò ex commisso crimine nulla culpa in hominem, omnis verò in solum Deum devolvenda sit,* manifestum oppidò evadit, doctrinam illam ita comparatam esse, ut Divinam justitiam, veritatem & sanctitatem lædat & evertat. Neque enim is verax habendus est, qui Verbo suo, iniquitatem se nolle, exterius prætendit, sed ex liberrima sua voluntate sic omnium scelerum causa est, ut omnes peccatores ad omnia, quæ patrant, crimina necessitet. Nec judex ille justi titulo dignus est, qui eos, in quos nulla culpa cadit, immani supplicio afficit. Neque tandem erga mortales miseros misericors est, qui tam crudeliter iis illudit, ut æternas horrendasq; pœnas ob id infligat, ad quod ipse eos sua prædeterminatione necessitavit. §. 16.

§. 16. Liquidam illam & necessariam consequentiam, quâ ex communi Reformatorum doctrina detestabilis hæc sententia, quod Deus peccatores omnes ad peccata decreto suo prædeterminaverit, adeoque peccatoribus omnibus peccandi necessitatem imponat, derivatur, ipsos *Reformatos* sagaciores perspicere, vel exinde hariolamur, quod non solum patribus in Dordracena synodo præsentibus *Sess.* 132. p. m. 338. visum fuit potioribus suffragiis, *rejectionem* locutionum incommodiorum esse *omittendam, ne calumniari possent adversarii, rejectione phrasium incommodarum etiam orthodoxam doctrinam, quam professi essent illi, qui in ejus explicatione ejusmodi phrasibus usi videntur, pariter damnari,* verum etiam recentissimi Reformati, ipsi quoque Universalistæ, veterum Calviniano-rum horridas formulas excusant & incrustant, ac *Zwinglium, Calvinum, Bezam,* aliosque Dei Optimi Maximi manifestissimos obtrectatores, suos tanquam in Christo Patres fratresque æq; suspiciunt & exosculantur, uti mortales illi in Dordracenô concilio publica Præsidis voce ceu *venerandi viri, Heröes, cœlo terraque clarissima nomina, Ecclesiæ lumina,* testantibus Actis Dordr. p. m. 144. celebrabantur. Quod ipsum excellentissimum Hamburgensium Professorem, Dn. *Sebastianum Edzardum,* movit, ut in suis *adversus Joh. Fabricii defensionem vindiciis,* sect. VI. §. XIII. scriberet: *Quod si quis justissimum optimum-*

que Regem conviciis inceſſeret, omnium ſcelerum & facinorum culpam in eum protervè conferens: accederet verò alius, & tàm impurum audacemque hominem honorifico Patris fratriſque nomine ſalutaret, ac intimâ eum converſatione non ſolùm ipſe dignaretur, ſed & omnibus de meliori nota ambitioſè hinc inde conquiſitis encomiis commendaret, nonne hic in eadem ſcapha navigare, & ſimiles pœnas promereri cenſeretur? Quamdiu igitur Univerſaliſta (Reformati) *Particulariſtis Eccleſiaſticam fraternitatem non renunciant, quamdiu Zwinglium, Calvinum, & ſectatores eorum non pro iis, qui ſunt, id eſt, pro hoſtibus Dei omniq; pietatis everſoribus reputant, quamdiu eos & impia eorum dogmata anathemate non ferunt: tamdiu etiam ejusdem nequitiæ ſunt participes.*

§. 27. Quæ cùm ita ſint, dolemus vehementer, Clariſſ. Dn. D. *Fabricium*, hodiernum Profeſſorem Helmſtadienſem, nimio pacis ſtudio ita eſſe præoccupatum, ut conſequentias illas, quæ tàm nefanda dogmata ex Reformatorum recentiorum hypotheſibus eliciunt, minus eſſe ſolidas l. c. arbitretur. Rectius certè ex venerandorum ſuorum in academia Jenenſi Promotorum, B. *Bechmanni* & B. *Velthemii*, à quibus ad ſublimem Doctoris Theologi gradum evectus fuit, monumentis eruditi ille debuiſſet. *Bechmannus* quippe (quem hodiernus Jenenſium Profeſſor, Dn. D. *Buddeus*, l. c. à Fabricio *æqui judicii vir* adpellatus, in præfat.

fat. ad ipsius in catecheticas Dieterici institutiones annotata *PIETATE & eruditione maximum, atque hoc sibi proprium, ut SOLIDE & perspicuè doceat, nullis se ambagibus involvat, SOBRIE & cautè à noxiis utilia, supervacua à necessariis discernat, habentem Theologum* ex merito salutat) in *Institut. Theolog.* Part I. Loc. V. §. XI. scribit: *Divina providentia circa malas actiones non versatur ita, ut voluntatem hominis ad illas determinet, ut in ejus potestate amplius non sit agere aut non agere, ceu contendunt Reformati, qui docent, voluntati induci necessitatem ex motione & directione divina, quæ sententia sicut IMPIA, ita absurda est: Ex ea enim sequitur, quod culpa, quæ cum peccato cohæret, non redeat in hominem, sed in ipsum Deum, & quod DIRECTE sit causa peccati.* Et part II. §. IX. inquit: *Calviniani ab hac sententia, quòd Deus sit causa peccati, satis se liberare non possunt, quàmdiu statuunt, hominem ita subjectum esse directioni divinæ, ut, quicquid agit, necessariò vi directionis divinæ agat: Stante enim hac sententia, necessariò dicendum, hominem à Deo ita dirigi, ut hâc directione ad actionem, adeoque etiam ad peccatum determinetur, ut necessariò illud committat, quâ ratione Deus non potest non causa peccati esse.* Gemella his tradit B. *Velthemius*, dum in Theol. Memorial. Loc. VII. non solùm pag. 573. ad Reformatorum errores refert, quod *negant* illi, *se sua doctrina de providentia Dei circa peccatum Deum facere auctorem & causam peccati*, sed & pag. 574. *orthodoxi*, ait, *Theologi non possunt*

aliter

aliter salva veritate cœlesti ac conscientia judicare, quàm quod ex eorum, qui omne arbitrium ab absoluta necessitate liberum cuivis creaturæ rationali, adeoque etiam homini denegant, simulque à providentia divina voluntatem creatam in omnibus suis actionibus absolutè necessitari statuunt, sententia per se ac omninò consequatur, aut nullum esse peccatum, aut Deum utique esse auctorem & causam omnis peccati, Nec verò perversum suum de Reformatorum doctrina judicium tuetur satis Dn D. *Fabricius*, quando ad B. *Johannem Gerhardum*, cujus auctoritas non minor quàm *Bechmanni* est, hic provocat. *Gerhardus* enim in L. de *Provid.* n. 136. nil aliud docet, quam quod quidam ex iis, qui in aliis Calvinum sequuntur, interdum quidem satis commodè hic loquantur, reipsa autem sententiam, quæ Deum auctorem causamque peccati efficit, foveant ac propugnent: Illos ipsos quippe Calvinianos, qui commodiores quandoque formulas hic usurpant, ibidem cohortatur, ut *non solùm linguam mutent, sed & mentem*.

§. 18. Expositis ita expensisque Reformatorum doctrinis, judicet nunc quivis Christianus Lector, an applaudendum sit illi à B. *Johanne Affelmanno* in Syntagm. Part. I. Disp. XXXIII. exstructo, Syllogismo, quem ipse sic enunciat: *DEus Calvinistarum est 1. auctor & causa peccatorum, 2. verè peccans, 3. & magis quidem quam homo, 4. est hypocrita & delusor pessimus, 5.*

est

est iniquissimus & injustissimus, 6. est Diabolus, imò 7. Diabolo deterior. Deus orthodoxorum non est auctor & causa peccatorum, nec verè peccans, nedum magis quam homo, non est hypocrita & delusor pessimus, non iniquissimus, & justissimus, non Diabolus, multò minus Diabolo deterior. Ergò non est idem utrorumque Deus. Argumentum hoc ut nimiam, & charitati Christianæ parum consonam vehementiam, in der Kirchen- und Ketzer-Historia Part. II. Libr. XVI. c. XXXI. §. 19. improbat *Godofredus Arnoldus, Vir* (ut Dn. D. *Philippus Ludovicus Hannekenius* in dissertat. peculiari ann. 1699. Wittebergæ habitâ, cui titulus: *Godofredus Arnoldus ἀνιςορησίας in re sacra convictus*, describit) *aliàs non indoctus, sed qui horribilibus falsarum, an delirarum? opinionum procellis jactatus, munere Historiarum Doctoris in Academia Giessena ultro se, ut alter quidam seculi nostri Carlstadius abdicavit, ut raptu quodam τῶν ἐνθουσιαζόντων καὶ πλατωνιζόντων partim occultis rebus studere, partim verò integris voluminibus cœtum Christi repurgatum turbare, sibique posset reddere infestiorem.* E contrario Theologus summus, Dn. D. *Johannes Friedericus Mayerus*, in Früh-Stunden p. m. 707. pronunciat, *Affelmannum*, & quem hic allegat, B. *Philippum Nicolai* rectè omninò locutos esse ac sensisse, quando Calvinianorum Deum Diabolum esse asseruêre.

§. 19. Tantoperè autem omnes illos qui Deum aliquo modo peccati causam esse ad-

junt,

junt, aversamur, ut vel iis nostratibus Theologis, qui *Deum peccati causam per accidens* vocant, thesis nostra sese opponat, etiamsi contendant illi, τὸ additamentum: *per accidens*, sibi esse terminum *alienantem* (h. e. terminum propriam vocis causæ significationem prorsus destruentem). Videlicet applaudimus minimè D. *Georgio Calixto*, qui, etsi in *Epit. Theol.* pag. m. 124. moneat, *nullum peccatum referendum esse in Deum autorem, quia non fiunt peccata Deo vel impellente, vel jubente, vel approbante, vel decernente, sed tantùm permittente*, paginâ tamen insequente 125. haud obscurè docet, *Deum causam peccati esse indirectè, impropriè, & per accidens*, quatenus [1] permittit peccata perpetrari, quæ per absolutam suam potentiam, ne fierent, prohibere posset, (2) homines deserit, & suam iis gratiam subtrahit, [3] pœnam differt, quâ dilatione plurimi in suam ipsorum perniciem abutuntur, (4) ea, quæ improbi improbè agunt, & in finem malum, ipse sua bonitate & sapientia in fines optimos dirigit, [5] permittit fieri delictum, quod minus sive levius est, & interim occludit viam ad aliud, quod esset majus & gravius, idque fieri non permittit. Hinc & dissentimus à D. *Christiano* Dreiero, Regiomontano Theologo, cui in der Erörter. pag. 35. 37. & in tract. pecul. de *causa peccati* eadem illa scandalosa phrasis Calixtina collibuit.

§. 20. Quid? quòd, ut omnibus de nostra

ſtra integritate conſtet, ne æmulemur quidem, aut omninò approbemus ſecuriores ac duras illas formulas, quas B. *Lutherus* in egregio & ſolido de *ſervo arbitrio* tractatu, & *Philippus Melanchthon* jam olim in annotationibus in Pauli ad Rom. Epiſtolam, & quidem in editione anni 1525 ante exortum certamen Calviniſticum uſurparunt, quæque jam olim in conventu Auguſtano Melanchthoni præſenti ab *Eccio* exprobrabantur, & poſteà in Conſilio, à *Johanne Cochlæo* ſuper XXVIII. articulis Auguſtenſibus Regi Romanorum d. 17. Jun. ann. 1540. Hagenoæ reddito (quod B. *Seckendorffius* unà cum ſuis animadverſionibus in *comment. de Luther.* Libr. III. ſect. 21. §. LXXIX. Addit. IV. exhibuit) velut aſſerta ſtabilem in fide pacem & concordiam impedientia perſtringebantur. Placet valdè, quod B. *Balthaſar Meiſnerus* in anthropologiæ decade 3. Diſp. 23. hunc in modum ſcribit: *Lutherus libellum illum* (de ſervo arbitrio) *confecit ante certamen Calviniſticum, adeoque nonnihil ſecurius eſt locutus, non ſecus atque alii Patres, qui, adverſariis nondum exortis, multa ſcripſerunt incautius.* Et paucis interjectis: *Mens quidem orthodoxa fuit, ſed lingva liberior, ut de illis dici poſſit, quod Scaliger de antiquis Philoſophis, quod benè ſenſerint, malè ſint locuti. Quia enim his de neceſſitate eventuum, & ratione prædeſtinationis æternæ tum nondum mota fuit à Calvinianis, in multis ſecuriores phraſes adhibuit, quibus nunc factio Calviniſtica abutitur,*

titur. Cæterùm *Lutherus* & *Melanchthon* excusationis & veniæ aliquid hìc ex ea ratione merentur, quòd judice *Chemnitio* in Loc. Theol. Part. I. Loc. V. c. VIII. *difficiles* illæ de libero arbitrio & peccati causa *disputationes in principio, cùm doctrina à Papisticis corruptelis repurgaretur, non potuerint tàm distinctè, tamque commodis verbis explicari, sicut nunc Dei beneficio declaratæ exstant.* Intercedit & ingens inter illa Ecclesia lumina, & inter *Zwinglium, Calvinum, Bezam, Zanchium* aliosque Calvinianos discrimen. Melanchthonem sanè phrasium istarum incommodarum tandem adeò puduit, ut non tantùm eas, cùm aliis offendiculo esse cerneret, in sui in epistolam ad Romanos commentarii editionibus posterioribus omitteret prorsus, sed & ipsarum vice cùm in Confessionis Augustanæ articulo XIX. tùm in Locis Theologicis sobrias nihilq; incommodi habentes adhiberet. Quin imò si ipse vel maximè ab initio grandem illum de causa peccati errorem, quem phrases duriores primò intuitu præ se ferre videbantur, animò complexus esset, posteà tamen exuisse, solidisque argumentis confutasse, memoratus jam Augustanæ Confessionis articulus, nec non Loci de *causa peccati & de contingentia* Theologici inspectio abunde docet. Sic & *Lutherus* materia de libero arbitrio causaque peccati cautiùs loqui didicit, &, quod *Augustinus* de se prædicavit olim, *proficienter scripsit,* siquidem non

solùm

solùm Augustanæ Confessionis articulos XVIII. & XIX. censuræ suæ submissos sincerô pectore approbavit, verùm etiam in commentario ad Genesin, e. gr. in enarratione capitis 3. (ubi *ultimum gradum peccati esse* profitetur, *si quis DEum afficiat contumeliâ, & tribuat ei, quod sit autor peccati*) aliisque suis libris commodissimè ac sine omni ambiguitatis caligine, horridis, seclusis locutionibus, genuinam de libero arbitrio causaque peccati doctrinam expressit. Protestatus est cumprimis Tom. III. Jen. fol. 102. *Zwinglii* & *Calvini* sententiam se minimè amplecti. Contenderunt quoque nostrates, B. *Martinus Chemnitius* l. c. B. *Affelmannus* in Syntagm. Part. I. Disp. XXXIII. B. *Wagnerus* Act. Henot. p. 328. B. *Kromayerus* in Theol. Pos. Polem. Art. V. pag. 259. seqq. B. *Calovius* in Antapologia c. Rintelenses pag. 122. seqq. multique alii, B. Lutherum tum etiam, quando durius locutus est, mentem integram & à toxico Calvinistico immunem sub istà formularum duritie servâsse. Verùm enim verò *Zwinglius, Calvinus, Beza, Piscator* aliique Calvini asseclæ non modò horridas suas locutiones in omnibus scriptorum suorum editionibus retinuere, sed etiam ipsas impias sententias, quas phrases illæ naturaliter & ex familiari usu lectoris animo insinuant, pertinacissimè asseruerunt. Nec minus Reformati recentiores ea impia dogmata, quæ *Lutherus* in Augustana Confessione scri-

ptisque suis posterioribus intrepidô spiritu damnavit, apertis partim, partim opertis verbis propugnant. Adparet igitur luculente, nihil infaustis suis molimimbus evincere *Syncretistarum* factionem, quando, Doctores Calvino-Reformatos intra societatem ecclesiasticam tanquam fratres in Christo vitæque æternæ cohæredes tolerandos esse, objectis durioribus *Lutheri* & *Melanchthonis* locutionibus contendit.

Th. XXII.

Finis peccati (h. e. id, propter quod efficiendum aut consequendum perversa Diaboli & impiorum voluntas est causa efficiens peccati, seu quod intendit malorum voluntas, quando est peccati humani causa) pro diversitate causæ efficientis admodum variat.

Th. XXIII.

Finis peccati ex parte Satanæ est partim inexplebilis erga DEum & homines odii qualiscunque expletio, partim infernalis regni amplificatio: Finis verò ex parte hominum est bonum aliquod apparens, videlicet proprius honor, proprium commodum, & perversa voluptas.

§. 1.

§. 1. Peccati originalis causa finalis ex parte Protoplastorum (h. e. id, quod protoplasti directè intendebant, cum laberentur, & suo hoc lapsu peccati originalis labem in humanum genus inveherent) erat plenior cum Deo conformitas, & excellentior dignitas. Sic & (quod ad actualia peccata attinet) nefandæ proditionis, tanquam peccati cujusdam actualis, finis ex parte Judæ erat bonum utile, seu proprium commodum, nempe certa pecuniæ summa per hanc viam consequenda: Et adulterii patrati causa finalis ex parte Davidis erat perversa corporis voluptas. Sic se res habet in cæteris peccatis actualibus.

§. 2. Manifestè totus Ethicorum chorus peccato seu vitiosæ actioni finem attribuit, cùm totam actionem, si circumstantia finis sese rectè non habeat, vitiosam malamque fieri contendit.

§. 3. E contrario B. *Calovius* in System. Theol. Tom. V. c. II. p. m. 55. arbitratur, *finem peccati propriè nullum esse, cùm finis propriè dictus non sit nisi rei bonæ.* Sed uti peccati finem propriè loquendô esse, ex proximè dictis clarissimè patet, ita (salvâ tanti Theologi auctoritate) negamns planè, finem propriè dictum non esse nisi *rei bonæ.* Nam [1] finis propriè dicitur omne id, cujus efficiendi vel consequendi gratiâ aliquid est vel fit: Jam verò nunc boni,

nunc mali effectus alterius rei efficiendæ aut consequendæ causâ à principio effectivo oriuntur. [2] Quæstio: *Cujus ergò?* est quæstio de fine propriè dicto: Id quod *Hugo Grotius* docet, quando Libr. II. de Jure B. & P. c. XX. §. 28. scribit, *in pœnis duo spectari, id OB QVOD, & CUJUS ERGO, ob quod esse meritum, cujus ergo esse utilitatem ex pœna.* Atqui modò de re bona, modò de re mala quæstio: *cujus ergo?* instituitur: prout e. gr. non tantùm, cujus ergò quis dominicâ die sacra frequentaverit? sed &, cujus ergò alius insuper habitô cultu publicô popinas aut tabernas visitaverit? scisitamur. (3) Etsi mors temporalis, per se, & prout primùm humano generi immissa fuit, spectata, itemque mors æterna res mala sit, ac speciatim æterna mors sit summum malum, & miseria hominis simpliciter extrema, tamen temporalis mortis eô modô consideratæ finis ex parte Satanæ est expletio odii erga DEum atque homines, ex parte Dei verò est peccatorum vindicatio, adeoque & justitiæ divinæ declaratio, ac damnationis æternæ finis ex parte Dei judicis est justitiæ ultricis, veracitatis & potentiæ divinæ gloria.

§. 4. De cætero ex hactenus dictis manifestum evadit, nec illud admittendum, quod B. *Calovius* l. c. pag. 56. ait, *malum, uti ad finem non est,* (i. e. finem non habet), *ita non esse finem.* Aliquod certè, quod malum est, esse finem, exquisiti judicii Philosophus, *Stahlius* noster

ſter, in erudito ad Tabul. Metaph. X. diſcurſu tali probat argumentô: *Voluptas illicita eſt finis* [e. gr. adulterii] *Voluptas illicita eſt malum. E. Quoddam malum eſt finis.* Nec verò ratio à B. *Calovio* annexa, quòd ſcilicet *malum non habeat cauſam efficientem propriè dictam*, quicquam valet. Nam (1) nulla eſt conſequentia, ſi ſic argumenteris: *Si malum non habet cauſam efficientem propriè dictam, ſequitur, quòd non ſit finis.* Nec enim omnis finis eſt aliquid *efficiendum*, ſed quandoque eſt tantùm aliquid obtinendum ſeu acquirendum, quando nimirum eſt res jam tum exiſtens. (2) Negamus omninò, quòd *malum non habeat cauſam ſui efficientem propriè dictam.* Nam cauſa efficiens propriè dicta eſt vera cauſa per actionem: Aſt datur vera mali cauſa per actionem. Annon enim impii malè agendô veriſſima æternæ ſuæ damnationis cauſa ſunt? Annon Satanas peccati originalis cùm concretivè tùm abſtractivè ſpectati veriſſima fuit cauſa per veram & realem actionem, nempe per ſeductionem & perſuaſionem? Annon morbi vehementiores ſunt mortis temporalis pro ſtatu ſumtæ, quæ nil aliud, quàm vitæ hominum naturalis privationem dicit, vera cauſa per actionem, nempe extinguendô calorem nativum cum humido radicali, animamque & corpus diſſolvendo? Numne homines mali vitiorum ſuorum moralium, tanquam verorum malorum, veriſſima cauſa per actiones peccaminoſas crebriùs iteratas evadunt?

§. 5. Quamobrem rectiùs longè, & accuratiùs de *peccati Fine* disseruit B. noster *Gerhardus*, dum in *Isag. Loc. Theol. Disp.* XXIII. c. IV. §. 9. huncce in modum scripsit: *Finis peccati 1. respectu Diaboli impellentis est, ut creatori suo, à quo turpiter defecit, hostiliter sese opponat, & cùm ipsummet ladere non possit, creaturam ejus ladat, utque multos damnationis suæ socios habeat, quod supplicionum suorum aliquod solatium fore existimat; 2. respectu hominis peccantis est consecutio apparentis alicujus boni, videlicet proprii honoris, proprii commodi & perversæ voluptatis.*

Th. XXIV.

Cæterùm *verum* illud *bonum*, quod directionis ac providentiæ divinæ vi ex peccato tandem provenire Part. I. Loc. VI. pag. 1014. seq. docuimus, non est peccati finis, (cùm à causa peccati efficiente non intendatur); sed *usus* saltem *per accidens*. De quo vel ex ipsis *Reformatis* videatur *Gisbertus Voëtius* in peculiari dissertatione de *peccati usibus per accidens*.

§. 1. Cùm verum illud bonum, ad quod, tanquam permissionis ac directionis divinæ finem propriè dictum, sapientissimus hujus universi moderator peccata jam à creaturis facta dirigit, sit peccatorum usus per accidens,

in

in tantum rectè l. c. docet *Voëtius*, in quantum observat, peccatum impropriè aut catachrestic̃è dici posse' utile, ejusque aliquem esse usum bonum, sed per accidens, nimirum propter accidentem ei divinam directionem & ordinationem, ita, ut illa utilitas & bonitas divinæ providentiæ actibus circa peccatum occupatis per se competat, peccato autem nullâ ratione insit nisi per accidens, seu per aliud & propter aliud, illi malo adjunctum. Scitè *Thomas* I. II. qv. 79. art. 4. *Peccatum*, inquit, *ad duo ordinatur, ad unum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex divina misericordia vel providentia, scilicet ad sanationem, in quantum DEus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur & convertantur.* Atque hôc sensu intelligendum, qvod *Augustinus* Libr. XIV. de *Civ. Dei* c. XIII. ait: *Audeo dicere, superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendò ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumsit. Hoc dicit & sacer Psalmus. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen Tuum Domine, id est, ut Tu eis placeas quærentibus nomen Tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.*

§. 2. Attamen *Augustinus* illud Apostoli *Rom.* IIX, 28. dictum: *Diligentibus DEum πάντα συνεργεῖν εἰς ἀγαθόν, (cooperari in bonum)*, minus accuratè in Libr. de *corrept. & grat.* c. IX.

& in Libr. de *natur. & gratia* c. XXIV. ad eam, quam asseruimus, peccatorum utilitatem applicat. Peccata enim ad bonum *cooperari* nequeunt, cùm nuda sint occasio ad aliquid bonum producendum, occasio autem nuda (ut *Bonaventura* ad 1. Dist. XLVI. observat) *intentionem & OPERATIONEM privet, quia non dicit principium producens, sed magis dicit aliquid, quod principium afficit, ut efficiat.*

§. 3. Licet verò directionis ac ordinationis divinæ vi tàm varius sit peccati usus per accidens, hallucinati tamen sunt *Gvilielmus Twissius* & *Gisbertus Voëtius*, quorum ille in *Vindiciis Gratiæ* statuit, Deum velle, ac decrevisse, ut sit aut fiat peccatum, hic verò l. c. docet, DEum *velle peccatum non quà peccatum*, sed *quà ordinabile, aut quatenus ordinatur & convertitur in bonum universi, & gloriam nominis divini.* Cùm enim testante Sanctâ Scripturâ Deus nullatenus peccatum velit, omneque peccatum Deô nolente ac reluctante fiat, ipse sanè peccata permittens, & ad bonum dirigens, peccatum ne quidem quà ordinabile vult, sed vult saltem peccati permissionem & ad bonum ordinationem, itemque certum illud bonum, ad quod peccata sapientissime sanctissimeque dirigit.

§. 4. Erravit quoque cum *Reformatis* aliis *Johannes Peltius*, quando in *Harmonia Remonstrantium & Socinianorum*, à Facultate Theologica Leydensi annò 1633. approbatâ, art. V.

§. 2.

§. 2. hæc in *Arminio* contra Perkinſ. fol. 22. aſſerta taxavit: *Peccatum non eſt medium illuſtrandæ gratiæ Dei, ſed occaſio à Deo arrepta, & horſum mirabili abuſu, & laudabili arte uſurpata.* Peccatum enim non eſt medium illuſtrandæ gratiæ Dei, ſed occaſio ſaltem, ad quam Deus gratiæ ſuæ gloriam promovet, cùm omne illud medium, quod producendum demum eſt, propter finem fiat, peccatum vero à cauſa ſui efficiente haud propter Numinis Æterni gloriam, ſed propter bonum quoddam apparens efficiatur.

Th. XXV.

Peccati *materia ex qua* nec ratione compoſitionis, nec ratione eductionis datur.

§. 1. Peccatum materiam ex qua ratione *compoſitionis* ſic dictam (quæ aliàs abſolutè & ſimpliciter materia ex qua adpellatur) non agnoſcit, quia talismodi materiam non niſi ſubſtantia compoſita habet, peccatum verò planè non eſt ſubſtantia. Peccatum autem non eſſe ſubſtantiam, in aperto eſt. Nam (1) recta ratio docet, peccatum, ſive abſtractivè, ſive concretivè ſpectetur, ſubſtantiam non eſſe. Quippe peccatum abſtractivè conſideratum, nihil aliud eſt, quàm rectitudinis & bonitatis moralis privatio: At quis meram bonitatis privationem ſubſtantiam dicet? Et peccatum, ſi concretivè accipiatur, eſt actus, vel actionis omiſſio, vel qualitas ἄνο-

μος: Quis verò tale quid substantiam adpellabit? (2) Si peccatum est substantia, certè aut creata est ac dependens, aut increata ac independens. Si est substantia increata ac independens, Deus sit necessium est, cùm solus Deus sit increata ac independens substantia: At nihil absurdius cogitari potest, quàm peccatum esse ipsum Deum. Si verò peccatum est substantia creata & dependens, à Deo originem traxit, cùm omnis creata & dependens substantia ab Æterno Numine ortum ducat. Sed & impium dictu est, Deum summè & infinitè bonum esse fontem & autorem peccati.

§. 2. Damnamus igitur ac detestamur *Manichæorum* delirium, qui (ut ipse *Augustinus* Manichæismi furore quondam occupatus cap. XLVI. ad *Quod vult Deum* notat) peccatum somniarunt esse *substantiam* nobis adhærescentem, & eam quidem, quæ separari possit ac separanda sit aliquando in consummatione seculi, ut seorsim subsistat in nescio quo globo.

§. 3. Nec verò peccati materia datur ratione eductionis, h. e. nulla est materia, ex qua peccatum velut forma quædam materialis per se resultaverit. Nam si in materia peccatum per se latet, ad Deum, quippe qui est materiæ causa efficiens & conditor, peccati origo referenda est. Quicquid enim naturæ & materiæ per se convenit, id à Deo, naturæ & materiæ autore, oriundum est. Quam conse-

quenti-

quentiam jam olim perspexit *Plato*, qui (*Justino Martyre* in orat. cohortatoria ad Græc. p. m. 19. referente), cùm malum ἐξ ὕλης ὡρμῆσθαι (h. e. *è materia progressum* esse) diceret, materiam, ne Deum τῶν κακῶν ποιητὴν (h. e. *mali effectorem*) dicere putaretur, ἀγέννητον (h. e. *ingenitam*, seu increatam & non factam) esse prodidit.

§. 4. Quocirca abominamur hîc non solùm *Hermogenem* à Tertulliano libro peculiari confutatum, qui è materia (quam ab æterno & bonam & malam extitisse deliravit) bonum æquè ac malum prodiisse commentus est, verûm etiam *Bellarminum*, qui in Libr. de *Grat. prim. hom.* c. V. & c. VI. docuit, in homine, si Deus ipsum in puris naturalibus condidisset, carnis rebellionem adversus spiritum futuram, & tum *ex conditione materiæ* consecuturam fuisse, atque nunc, remotô originalis justitiæ donô, reapse inde oriri.

Th. XXVI.

Subjectum peccati, quatenus denotat peccati materiale τῷ formali contradistinctum, (h. e. id, cui peccati formale adhæret, quodque sumtum cum formali illô peccatum concretivè acceptum constituit) non est ipse homo, qualis est post lapsum, aut ejus anima, sed vel actus aliquis

quis positivus, vel actionis positivæ negatio, vel qualitas positiva acquisita, aut connata, cui ἀνομία adhæret.

§. 1. Ipsum hominem, qualis post lapsum nascitur, vel ipsius animam non esse peccati materiale, τῷ formali contradistinctum, (quod scilicet una cum formali ad peccati concretivè sumti constitutionem concurrit), liquidissimè constat. Si enim homo, vel anima ipsius materiale ejusmodi esset, sanè peccatum, cùm omne concretum in casu recto importet materiale, in casu recto foret ipse homo, vel ejus anima. Ast absurdissimum dictu est, peccatum esse ipsum hominem, vel animam ipsius. Nam (1) sic sequeretur, peccatum esse substantiam; quod tamen assertum est detestabile Manichæorum assertum, multis abhinc seculis ab Ecclesia in iis damnatum. (2) Christus hominem, ejusque animam à peccato redemit. Ergò peccatum non est ipsemet homo, vel ejus anima, quia aliàs absurdè dicendum esset, Christum peccatum à peccato redemisse. (3) Deus hominem, qualis hic est post lapsum, ejusque animam sanctificat, & à peccatis abluit. Ergò peccatum non est ipse homo, vel ejus anima, quia aliàs ineptissimè asserendum foret, quòd DEus peccatum abluat & repurget à peccato.

§. 2. Hinc B. noster *Bechmannus* in erudita de *Peccato originis* ad II. Aug. Confess. Art.

Art. conscriptâ dissertatione Thes. 53. circumspectè ait: *Si concretivè accipitur Peccatum O. præter ἀνομίαν & carentiam justitiæ originalis importat etiam subjectum aliquod, cujus respectu rectè entis positivi rationem habere dicitur. Non autem intelligimus subjectum QVOD aut QVO, de quo suprà egimus, hominem scilicet, vel animam ejus, sed tale subjectum, quod cum ἀταξίᾳ sumtum peccati appellationem habet, seu peccatum dicitur, quod nec de homine vel natura humana, nec de anima hominis, licet cum ἀταξίᾳ spectetur, dici potest. Tale autem subjectum est concupiscentia. Hæc enim sumta cum ἀταξίᾳ peccatum (concretivè) dicitur.*

§. 3. Minimè verò thesi nostræ adversatus olim est B. *Lutherus*, quando *Tua*, dixit, *nativitas* (o homo), *tua natura, tota tua substantia est peccatum.* Illud enim *Lutheri* dictum non propriè, sed impropriè & eô accipiendum est sensu, quo is, qui summè scelestus est, apud Homerum scelus appellatur. Scilicet Viri Beati mens est, totam hominis substantiam esse impurissimam, in extremo gradu peccatricem, intimeque ac profundissimè peccatô pollutam.

§. 4. Cæterùm hallucinatus hîc est D. *Georgius Calixtus*, quando in *Epit. Theol.* p. m. 112. docuit, *peccati originalis* ex parte facultatis intellectivæ spectati *materiale*, τῷ formali illius peccati contradistinctum, *in infante nullum aliud esse, quàm ipsum intellectum, in adulto verò vel intellectum,*

ctum, vel habitum, aut actum aliqvem ejus; ac *simile judicium de voluntate & appetitu* pronunciandum. Si enim intellectus & voluntas sunt peccati originalis materiale, formali ejus contradistinctum, ipsa anima rationalis ejusmodi materiale sit necesse est, cùm intellectus & voluntas totam animæ rationalis ut talis substantiam & essentiam intrinsecè constituant.

§. 5. Nec, stante thesi nostrâ, admitti potest, quod B. *Musæus* in der ausführl. Erklär. p. m. 257. seqq. docet, *connatam concupiscentiam*, quæ est peccati originis *materiale*, & cum originalis justitiæ carentia peccatum originis concretivè spectatum constituit, esse *vim vitalem, quæ facultatibus vitalibus, e. gr. intellectui & voluntati, non superaddita, sed essentialis est.* Vis enim vitalis, quæ facultatibus vitalibus non superaddita, sed essentialis est, quoad rem ipsa est facultas vitalis, e. gr. ipsa intellectus & voluntatis substantia. Quod si verò peccati originalis materiale est ipse intellectus ipsaque voluntas, certè materiale illud est ipsa rationalis & immaterialis anima.

Th. XXVII.

Subjectum autem peccati, quatenus significat id, quod peccato subsstat, (h. e. quod à peccato afficitur, indeque denominatur peccans), est homo peccatô illô pollu-

pollutus, tanquam denominationis *ultimatæ* subjectum, nec non ejus anima partim, partim corpus aut aliqua corporis pars, tanquam subjectum denominationis *non ultimatæ*. Et, si per peccati subjectum intelligatur ejus *materia in qua*, (h. e. id, in quo peccatum intrinsecè existit vel recipitur) tale subjectum interdum est ipse homo peccans tanquam subjectum *quod*, ejusque anima vel corpus tanquam subjectum *quo*.

§. 1. Quod ad subjectum denominationis attinet, e. gr. furti subjectum denominationes ultimatæ est fur, subjectum autem denominationis non ultimatæ sunt manus furis. Sic & homicidii subjectum denominationis ultimatæ est homicida, subjectum verò denominationes non ultimatæ sunt manus homicidæ. Hinc est, quod 2. *Cor.* V, 10. homines impia διὰ τὸ σώματος τὸ κακὸν πράξαντες h. e. *malum per corpus operantes* dicuntur.

§. 2. Pari ratione e. gr. pravarum cogitationum subjectum denominationis ultimatæ est homo prava cogitans, ejus verò anima, ratione intellectus considerata, est subjectum denominationis non ultimatæ.

§. 3. Sed quod *materiam in qua* concernit, *peccatum habituale originale* intrinsecè esse in homi-

homine, ejusque anima & corpore, in Loco proximè sequente ostendetur. Sic & *peccatum habituale acquisitum* homini, qui peccatô eô commaculatur, intrinsecè tribuitur. Illud enim peccatum propriè est fixa, & stabilis ad peccandum propensio, actibus pravis iteratis contracta: Jam verò omnis ad agendum propensio intrinsecè est in subjecto, quod ad agendum propendet.

§. 4. Peccatum *actuale omissionis* tribuitur quidem homini non agenti id, quod agere debebat, sed, si in se, & ut præcisè actus positivi lege præcepti negationem importat, non existit intrinsecè in peccatore. Nec enim sub ea ratione spectatum realem existentiam aut aliquid entitatis positivæ involvit. Quanquam negandum non sit, peccatum actuale omissionis intrinsecè in peccatore existere, quatenus omittendi id, quod præceptô affirmativô mandatum est, propositum connotat aut præsupponit. Cæterùm quôcunque modô peccatum omissionis spectetur, homo peccatô illô commaculatus est ejus subjectum *denominationis*, h. e. hoc sensu ejus subjectum dicitur, quòd ipsi tale peccatum tribuatur, ipseque inde culpabilis constituatur & denominetur.

§. 5. Peccatum *actuale commissionis*, quod est *immanens* tantùm, intrinsecè est homine peccante, ejusque anima vel corpore. Quippe e. gr. prava volitio in homine ejusque animâ imma-

immateriali quoad voluntatem spectatâ, prava cogitatio in homine ejusque animâ rationali quoad intellectum consideratâ, prava appetitio materialis in homine, & ejus animâ quoad appetitum sensitivum spectatâ, intrinsecè existit. Sic & vulneratio, qua quis sciens & volens semetipsum ex indignatione aut desperatione sauciat, in ipso vulnerante, ejusque corpore intrinsecè recipitur.

§. 6. Peccatum *actuale commissionis*, quod est *transiens simul*, homini peccatum hoc patranti partim intrinsecè, partim extrinsecè competit: Intrinsecè quidem, quatenus propositum exercendi actum externum peccaminosum includit; extrinsecè verò, quatenus in subjecto alio (quod propterea ipsius *materia in qua* nuncupatur) extra hominem peccantem peragitur.

Th. XXVIII.

Materia circa quam seu *objectum* peccati valdè variat. Si enim per peccati objectum intelligas personam, quam peccatum directè & immediatè tangit ac lædit, tale quid nunc est Deus, nunc proximus, nunc ipse peccans. Si verò nomine objecti peccatorum designetur id, circa quod ita versantur peccata, ut, si ad ipsum non terminarentur, non essent ta-

lis vel talis speciei peccata, objectum peccatorum tam varium est, ut unô conceptu exhauriri nequeat.

§. 1. Si priori modô objecti peccatorum vox accipiatur, idololatriæ objectum non est idolum, sed verus DEus. Sic & blasphemiæ, superstitionis & aliorum, quæ primæ tabulæ Decalogi esse dicuntur, peccatorum objectum est ipsum supremum Numen. Eôdem sensu peccatorum, quibus proximi seu persona, seu fama, seu bona fortunæ læduntur, e. gr. cædis, convitii, calumniæ, furti, defraudationis &c. objectum est proximus. Illô ipsô sensu scortationis (per quam homo in proprium corpus peccare 1. *Cor.* VI, 13. dicitur), ebrietatis, αὐτοχειρίας objectum est ipse peccans.

§. 2. Sin alterô illô, quem thesis nostra declarat, modo objectum peccati accipiatur, idololatriæ objectum est idolum, scortationis scortum. Eodem sensu peccati originalis, quatenus connatam intellectus pronitatem ad temeraria & falsa de rebus spiritualibus judicia ferenda importat, objectum sunt illæ ipsæ res spirituales, & quatenus congenitam voluntatis & appetitus sensitivi concupiscentiam involvit, objectum sunt res carnales, temporales, vanæ & caducæ, quas quærit, & Deus, quem contemnit. Id quod haud obscurè *Augustanæ Confessionis Apologia* subinnuit, quando p. m. 55. ait:

ait: *Nos rectè expressimus in peccati Originalis descriptione defectus illos, non posse Deo credere, non posse Deum timere ac diligere; item habere concupiscentiam, quæ carnalia quærit contra verbum Dei, hoc est, quærit non solùm voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens Deum.* Et paulò post: *Hugo, cùm ait, originale peccatum esse ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne, significat, nos nascentes afferre ignorationem Dei, incredulitatem, diffidentiam, contemtum, odium Dei.*

§. 3. Illô ipsô posteriori sensu peccatorum *habitualium acquisitorum* objectum sunt ea, circa quæ homo vi illorum peccatorum inordinatè & ἀνόμως versatur: prout e. gr. intemperantiæ objectum personale sunt personæ alterius sexus, reale sunt res gustabiles, ut cibus, potus.

§. 4. Pari ratione peccatorum *actualium* (commissionis) materia circa quam seu objectum sunt res vel personæ, circa quas peccaminosæ hominis actiones occupatæ sunt, e. gr. furti objectum est aliena res, adulterii materia circa quam est aliena uxor.

§. 5. Sicut autem aliàs potentia naturalis, habitus, & ea, per quam potentia naturalis & ipsam facilitans habitus sese exerunt, actio unum habent objectum, e. gr. intellectus, Physica & scientifica corporum naturalium intel-

lectio pariter circa corpus naturale versantur: ita etiam concupiscentia connata, quatenus contemnit Deum, habitus impietatis acquisitus, & actualis contemtus Numinis ad unum idemque objectum, Deum videlicet, terminantur.

Th. XXIX.

Peccati generatim, &, ut præcisè peccatum est, spectati *Forma* seu ratio formalis simpliciter sic dicta, (h. e. ratio formalis à priori, seu formale primum) nunc est ἀνομία, nunc disconvenientia cum natura rationali.

§. 1. Peccato attribuimus formam non in eô rigore, quo formæ vocabulum significat alteram compositi partem, quæ per unionem sui cum materia totum per se, & substantiam ex utraque compositam constituit: Peccatum enim formam eô pactô acceptam planè non agnoscit, cùm ejusmodi formam nil nisi substantia ex materia & formâ composita habeat, peccatum autem substantiam non esse, in præcedentibus contra *Manichæos* evictum sit. Peccato igitur formam assignamus in eô significatu, quô rationem formalem denotat.

§. 2. Peccati generatim, & *abstractivè* sumti, h. e. malitiæ moralis, ratio formalis [h. e. illud, per quod malitia moralis est id, quod est, & sine quo non potest esse id, quod est], &

qui-

quidem ratio formalis simpliciter sic dicta (quam aliàs rationem formalem à priori, itemque formale primum nuncupant) nunc est ἀνομία, nunc disconvenientia cum natura rationali. Quippe moralis malitiæ, quam actio, vel actionis omissio, vel qualitas quædam, vel habitus alicujus adesse debiti privatio per se & suapte natura implicat, *formale primum* est cum naturâ rationali disconvenientia, & ea quidem absolutè necessaria, *formale* verò consequens est ἀνομία seu disconvenientia cum lege. Nam in ea morali malitia nihil prius concipitur, ex quo absolutè necessaria cum natura rationali disconvenientia profluat; contrà verò in eâdem illâ morali malitia prius quid concipimus, ex quo ἀνομία promanet. Quemadmodum enim prius est, per se & suapte natura malam actionem, vel actionis omissionem, vel qualitatem quandam, vel habitus alicujus adesse debiti privationem cum natura rationali disconvenire, posterius verò, disconvenire cum lege, (& quidem cum lege Dei æterna), quia Deus ejusmodi malum ideò, quòd cum natura rationali per se & ex absoluta necessitate disconveniat, homini lege suâ æternâ interdixit: ita etiam quoad actionem, vel actionis negationem, vel qualitatem, vel habitus alicujus adesse debiti carentiam per se & suapte natura malam, secundùm nostrum concipiendi modum in rei veritate solidè fundatum prior est disconveni-

entia cum natura rationali, posterior verò disconvenientia cum lege.

§. 3. Pari ratione peccati concretivè sumti, & quidem generatim, ac ut præcisè peccatum est, spectati *formale primum* (h. e. id, per quod peccatum concretivè acceptum præcisè in esse peccati *primò* constituitur, seu à quo peccatum concretivè sumtum *primò* habet, quod est ac dicitur peccatum, seu moraliter malum) modò est disconvenientia cum natura rationali, modò ἀνομία. Nimirum peccati concretivè accepti, quod primariò (h. e. per se ac intrinsecè) peccatum est, formale primum seu ratio formalis à priori est absolutè necessaria, & essentialis disconvenientia cum natura rationali, & formale consequens est ἀνομία. Nam quoad nostrum concipiendi modum, imò naturâ prius est, peccatum ejusmodi in sua essentia & natura disconvenire cum natura rationali, posterius verò, disconvenire cum lege Dei æterna, quia (uti jam jam monui) Deus illud sua hac lege ideò prohibuit, quòd cum rationali natura per se & ex absolutâ necessitate disconveniat. At peccati secundariò sic dicti, seu extrinsecè talis formale primum est ἀνομία, & formale consequens est disconvenientia cum natura rationali. Quamvis enim ejusmodi peccatum [e. gr. transgressio legis paradisiacæ de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali] hoc, quod est ac dicitur peccatum,

catum, non solùm ab ἀνομία, sed & à disconvenientia cum natura rationali formaliter habeat, tamen ab ἀνομία (h. e. à disconvenientia cum lege aliqua positivâ) *primò*, à disconvenientia cum natura rationali *consecutivè* in esse peccati constituitur. Istiusmodi enim peccatum cum natura rationali ut tali, quippe quæ obsequium superiori exhibendum efflagitat, idcircò demum disconvenit, quia superioris decreto, tanquam legi, e diametro adversatur.

§. 4. Declaravimus in paragrapho proximè antecedente peccati concretivè sumti, & quidem generatim spectati, illud *formale primum*, quod aliàs *forma partis* dicitur, estque id, quod ita conceptum rei primum ingreditur, ut rei suum esse proprium ac specificum largiatur. Cæterùm peccati eâ ratione accepti formale primum, quod *forma totius* vocatur, estque nihil aliud, quàm rei conceptus primus totalis, paulò aliter se habet. Videlicet in hoc sensu peccati concretivè sumti, & quidem primariò & intrinsecè talis, formale primum est actio aut actionis omissio, habitus aut carentia ejus, cum natura rationali per se & ex absoluta necessitate disconveniens; peccati autem secundariò sic dicti, seu extrinsecè talis formale primum est actio aut actionis omissio, habitus aut carentia ejus immediatè ac proximè cum lege aliqua positiva (sive divina, sive humana) proximè & immediatè disconveniens. Dixi

ſtudiò, peccatum ſecundariò ſic dictum, ſeu extrinſecè tale cum lege aliqua poſitiva (h. e. cum eâ lege, quæ eſt de re ſuâ naturâ indifferenti, omnemq; obligandi vim ex ſola Legislatoris voluntate habet) *immediatè* ac *proximè* diſconvenire. Remotè enim & conſequenter omne quoque peccatum ſecundariò & extrinſecè tale cum lege Dei æterna, quæ ſanè non poſitiva, ſed naturalis eſt, ex eâ ratione omninò pugnat, quòd lex illa obſequium Deo & magiſtratui exhibendum poſtulet. Certè e. gr. externus de arbore vetitâ comedendi actus proximè ac immediatè legi divinæ poſitivæ *Gen.* II, 17. Adamo promulgatæ, remotè autem & conſequenter legi Dei æternæ, quæ omnem erga Deum inobedientiam prohibet, repugnabat. Atque comeſtionem illam fuiſſe quandam erga Deum inobedientiam, ipſe docet Apoſtolus, quando *Rom.* V, 19. Adami peccatum vocat παρακοὴν, h. e. *inobedientiam.*

§. 5. Locuti ſumus hactenus & in theſi de forma ſeu ratione formali peccati *generatim, & ut præcisè peccatum eſt*, ſpectati. Si enim quæſtio ſit de peccati *in ſpecie* ſpectati ratione formali, h. e. de eo, per quod hoc vel illud determinatum peccatum in eſſe ac ſpecie talis vel talis peccati conſtituitur, tunc aſſerendum eſt, rationem formalem peccati eſſe cùm totum conceptum hujus vel illius determinati peccati quidditativum (quippe qui eſt *forma toti-*

totius), tum illud, quod ita conceptum peccati primum ingreditur, ut ipsius conceptum communem ac genericum ad esse talis in specie peccati restringat. Videlicet peccati originalis formale priori sensu est complexus malorum moralium congenitorum, nempe concupiscentiæ pravæ, & carentiæ justitiæ originalis; posteriori autem sensu formale est cùm privationis congenitæ *relatio ad justitiam originalem*, quam illa privatio negat aut excludit, tum inclinationis connatæ determinatio ad prava, seu congenitæ propensionis habitualis *connata conversio ad mala* (quâ fit, ut carnalia quæramus contra Verbum Dei, hoc est, quæramus non solùm voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem, & confidamus his bonis) & *connata aversio à bono* (quâ non tantùm bonum non volumus, e. gr. Deum non amamus, Deo non confidimus, sed etiam bonum positivè aversamur, e. gr. Deum, qui sanè Summum Bonum est, contemnimus & odio habemus). Vid. *Aug. Confess. Apolog.* p. m. 55. Sic &, quod ad peccata actualia determinata attinet, e. gr. adulterii formale priori modo acceptum est concubitus voluntarius cum aliena uxore, formale autem posteriori sensu sic dictum est concubitus *voluntaria applicatio ad uxorem alienam*.

Th. XXX.

Possunt & *culpa* atque *reatus*, ut ipsi peccato in se spectato tribuuntur, adpellari *formale* peccati, & quidem cùm peccati, quatenus est peccatum, tùm peccati, quatenus est culpabile, quid ac reum. Uti enim peccatum formaliter per culpam & reatum est peccatum, cùm omnis actio, quæ culpabilis & pœnis digna est, sit verè ac propriè dictum peccatum; ita hoc, quod est ac dicitur culpabile & reum, à culpa & reatu formaliter habet.

§. 1. In superioribus, ubi culpam & reatum vocavimus formales peccati effectus (h. e. effectus, quos vi suæ naturæ ac formæ peccatum non potest non ex parte hominis peccantis inducere), culpam & reatum, ut se habent ex parte peccatoris, eumque afficiunt, spectavimus; nunc verò, dum ad formale peccati referuntur, ex parte peccati, seu ut peccato competunt, consideramus.

§. 2. Hôc igitur respectu culpa est ipsa peccati fœditas & macula moralis, reatus verò est pœnæ dignitas & meritum, ut peccato competit.

§. 3.

§. 3. Quando autem peccatum formaliter per culpam & reatum peccatum esse dicitur, id non aliô, quam eô accipiendum est modô, quô e. gr. homo formaliter per hoc, quòd sit docilis, homo esse dicitur. Quemadmodum enim docilitas non est hominis formale primum, sed formale consequens; ita etiam culpa & reatus non pertinent ad formale primum peccati, sed sunt saltem peccati proprietates essentiales seu consequentia formalia, h. e. necessariò ex essentia & natura peccati profluunt. Omne enim peccatum, quà peccatum, aliquam à regula rectitudinis (nempe naturâ rationali & lege Dei æternâ) exorbitantiam & discrepantiam in sua natura importat. Ergò omne peccatum, ut peccatum, in sua natura est fœdum quid ac turpe. Sic & omne peccatum, quatenus est peccatum, suâ naturâ legis Dei æternæ & immutabilis, atque adeò juris divini violationem sive immediatam, sive mediatam, & sic porrò injuriam in Deum redundantem, quâ Deus non potest non gravissimè offendi, importat. Ergò omne peccatum, quà peccatum, gravissimis pœnis in sua natura dignum est, easque commeretur.

§. 4. Cæterùm ut doctrina de *formalibus* peccati *consequentibus* accuratiùs intelligatur, monendum hîc est, quòd peccati primariò & intrinsecè talis consequentia formalia sint disconvenientia cum lege Dei æternâ, culpa & rea-

reatus, & quidem disconvenientia illa sit consequens formale immediatum, culpa verò & reatus sint consequentia formalia mediata; quodque peccati secundariò & extrinsecè talis formalia consecutiva sint (1) disconvenientia cum natura rationali, (2) disconvenientia cum lege Dei æterna, (3) culpa, (4) reatus.

§. 5. Cùm igitur reatus, ex parte peccati spectatus, proprietas essentialis & formale consequens peccati sit, ab eo, quàmdiu est ac manet peccatum, nunquam tolli potest, sed cum ipso semper est conjunctus. Scitè *Grotius* Libr. I. de Jur. Bell. & Pac. c. I. §. X. num. 5. scribit: *Ut esse rerum, postquam sunt & quà sunt, aliunde non pendet; ita & proprietates, quæ esse illud necessariò consequuntur.* Quod *Grotii* assertum Metaphysici vulgò sic efferunt: *Essentiæ & essentiales proprietates rerum æternæ sunt & immutabiles.* Hinc quando reatus per baptismum tolli dicitur, id non de reatu ex parte peccati, sed de reatu ex parte peccantis spectatò intelligendum venit.

Th. XXXI.

Peccatum, cujus naturam, mensuram adæquatam, proprietates naturales, causasque hucusque expendimus, generalissimè in peccatum *actuale* & *habituale* distingvitur.

Licet

Licet aliàs peccati vocabulum, *Thomâ* in I. II. q. LXXI. a. 1. & VI. observante, propriè actum aliquem, nempe actum humanum inordinatum sive malum, denotet, & vitio, quidpe quod sit habitus moraliter malus, contradistingvatur, constat tamen, eam quoque ex loquendi usu ad designandum peccati habitum translatam esse. Annon enim *habitus peccandi connatus*, qui partim in congenita justitiæ originalis carentia, partim in connata habituali propensione ad malum consistit, consvetudine apud omnes receptâ *peccatum originale* adpellitatur?

Th. XXXII.

Peccatum *actuale* (quod & peccatum *in actu* dici solet) est actio, aut actionis omissio, pugnans cum lege Dei æterna. Atque hinc nata est peccatorum actualium distinctio in peccata commissionis & omissionis, ut peccatum actuale commissionis formaliter & in se sit actio realis lege prohibita (e. gr. blasphemia), peccatum verò actuale omissionis, in se spectatum, sit actionis omissio, pugnans cum lege Dei æterna.

§. 1. Actionis omissio, cum lege Dei æterna pugnans, in eo consistit, quòd quis non facit

facit hîc & nunc, quod ad legis præscriptum hîc & nunc facere tenetur. Hinc si is, qui forte soporiferum potum contra voluntatem suam hausit, aut morbidô somnô contra suam voluntatem correptus fuit, templum non frequentat, hæc frequentationis illius omissio non est peccatum omissionis, quia homo ille ad templum nunc seu in præsenti hoc statu frequentandum lege Dei æternâ non obligatur.

§. 2. Eum quoque *revera peccare*, qui non facit, quæ ad legis præscriptum facere debebat, diserte docet Sancta Scriptura *Jacob.* IV, 17. ubi, *qui noverit rectè facere nec facit, peccatô teneri* dicitur, & *Luc.* XII. 47. ubi *servus ille, qui novit voluntatem Domini, & neque se comparavit, neq; fecit ex ejus voluntate, multis plagis cædendus* perhibetur.

§. 3. Actio lege prohibita peccatum actuale dicitur, quia *formaliter* (h. e. in se & ratione suæ entitatis) est aliquis realis ac positivus actus.

§. 4. Actionis cujusdam omissio cum lege Dei æterna pugnans peccatum actuale denominatur, non quòd *formaliter* consistat in reali aliquo actu, sed quòd *in se* sit quædam legis transgressio *actualis*, in omissione cujusdam *actus secundi* posita, & peccatis habitualibus contradistincta.

§. 5. Philosophi & Theologi nonnulli.

li, inprimis B. *Velthemius* in Theol. Memor. Loc. VII. p. m, §33. seqq. ad peccatum actuale quodcunque requirunt, ut ei, qui peccator inde denominatur, sit *voluntarium*, quatenus hoc significat id, quod est in ejus, cui voluntarium dicitur, potestate, atque ab ejus libero arbitrio dependet. Speciatim ad peccatum omissionis rationem τοῦ voluntarii usque adeò B. *Velthemius* l. c. pag. 534. seq. exigit, ut nullam meram omissionem peccatum actuale dici posse, sed omne peccatum actuale omissionis actionem aliquam voluntariam elicitam, liberam nempe intentionem (directam vel indirectam) arguere, atque ab ea dependere doceat. Atque hinc evenit, ut motus inordinatos primò primos [h. e. pravas cogitationes & appetitiones subitò, & ex necessitate quadam ob corruptam naturam, exortas], quamvis sint actuale quid, actumque secundum importent, tamen non ad peccata actualia, peccato originis contradistincta, sed ad ipsum originale peccatum scriptores illi referant. Nec verò, quando motus illi ad originale peccatum spectare perhibentur, incommodè id fieri, iidem auctores existimant. Contendunt quippe, motus istos esse peccatum quasi nobiscum natum, non quidem in actu ipso, sed in *potentia proxima*, cùm eâ simus conditione nati, ut objectô sensibus obviô subitò & quasi necessitate naturæ hujusmodi motus exoriantur. Vid. Dn. D. *Bechmannus* in annotat.

tat. ad Instit. Catech. Dieter. Art. de pecc. Qu. XV. Sic & (quod ad peccata omissionis attinet] eum, qui haustô soporiterô potu, aut illapsô morbidô somnô, templum non frequentat, peccatum, actuale omissionis patrare, D. *Velthemius* l.c.pag.635 *ex ea præcisè ratione* inficiatur, quòd homo iste nec directè, nec indirectè frequentationis templi omissionem intenderit.

§. 6. E contrario B. *Joh. Musæus* in Tr. de Convers. Disp. III. §. VI. & Dn. D. *Bajerus* Theol. Pol. Part. II. cap. III. §. II. quando naturam peccati actualis declarant, rationem τοῦ voluntarii ad peccatum istud non requirunt, sed docent saltem, peccatum actuale in eo consistere, quòd quis ea, quæ lex prohibet, ipsô actu faciat, aut ea, quæ ad legis præscriptum facere tenetur, non faciat. Hinc B. noster *Bajerus* non solùm motus inordinatos primò primos l. c. §. XIX. not. (d). peccatis actualibus involuntariis præcipuè annumerat, sed & l. c. §. III. observat, *NONNUNQVAM hominem in se ipso elicere actum voluntatis de omittendo actu præcepto, inprimis externo.* Ipse quoque *Musæus* l. c. de eo dubitat, utrum ad omne peccatum actuale omissionis intentio agentis (quæ utique est actio voluntaria elicita] requiratur. Ibidem enim inquit, *peccatum actuale omissionis semper, aut certè plerumque quendam voluntatis actum secundum, quô, quæ agenda nobis incumbunt, agere nolumus, includere aut præsupponere.*

§. 7. Ego B. *Bajeri* sententiam, quatenus

nus ad actuale peccatum rationem τοῦ voluntarii necessariam non esse statuit, totô illô temporis spatiô, quô Moralium & Theologiæ Professorem in Jenensi academia egi, adversus alios B. *Velthemii* opinionem amplexos vindicavi, ac etiamnum asséro. Nam (1) cùm motus inordinati primò primi peccatis *habitualibus*, seu peccatis *in habitu* propriè & in se annumerari nequeant, peccati verò in habituale & actuale distinctio adæquata sit, sponte suâ relinquitur, eos non nisi peccatorum actualium nomine adpellandos. (2.) Etsi τὸ actu non timere Deum, non amare Deum, Deo non confidere sint respectu irregenitorum peccata actualia omissionis, non tamen iis sunt voluntaria. Voluntarium enim à libero alterius arbitrio dependet, atque ita est in ejus potestate, ut oppositum etiam ab ipso fieri possit. Ast verò, cùm tota hominis natura corrupta, bonisque, quas habere debebat, viribus destituta, & ad malum proclivis facta sit, non timere Deum, non amare Deum, Deo non confidere, à libero irregenitorum arbitrio minimè dependent, nec ita sunt in eorum potestate, ut ipsi actus reales oppositos, ut actum timendi Deum, actum amandi Deum, actum Deo confidendi, exercere valeant, sed ex corruptæ naturæ necessitate iis contingunt. Hinc quod *Augustana Confessio* art. II. ait, *post lapsum Adæ omnes homines secundùm naturam propagatos nasci cum peccato, hoc est,*

sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, id ejus *Apologia* p. m. 55. per τὸ *NON POSSE Deum timere ac diligere, NON POSSE Deo credere*, disertè explicat, dum *Nos igitur*, scribit, *rectè expressimus* (scil. Art. II. nostræ Confessionis Augustanæ) *defectus illos, non posse Deo credere, non posse Deum timere ac diligere.* Hæc ipsa *Apologia* pag. 54. docet, quòd *vetus peccati originalis definitio, cum inquit, peccatum illud esse carentiam justitiæ, detrahat non solùm obedientiam inferiorum virium hominis, sed etiam detrahat notitiam Dei, fiduciam erga Deum, timorem & amorem Dei, aut certè VIM ista efficiendi detrahat.* Et paucis interjectis ait: *Ægra natura, quia NON POTEST Deum timere & diligere, quærit & amat carnalia.* Quid? quod ipsa *Augustana Confessio* in Art. XVIII. non damnet tantùm *Pelagianos & alios, qui sentiunt, sine Spiritu Sancto solis naturæ viribus nos posse Deum super omnia diligere*, sed doceat quoque, *naturam, quanquam externa opera aliquo modo efficere possit*, (e. gr. *possit continere manus à furto, à cæde*) *tamen interiores motus non posse efficere, ut timorem Dei, fiduciam erga Deum, castitatem, patientiam* &c.

Th. XXXIII.

Peccati *habitualis* nomine venit non tantùm justitiæ adesse debitæ carentia, verùm etiam habitualis in malum propensio: Ut adeò peccatum habituale in uni-

universum distingvi possit in peccatum habituale *privativum* & *positivum*, atque illud dicatur justitiæ habitualis privatio, hoc verò vocetur habitualis propensio ad malum.

§. 1. Justitiæ adesse debitæ defectus uti ob suam cum natura rationali aut lege Dei æterna manifestam disconvenientiam *peccatum* denominatur; ita *habituale* quid idcircò adpellatur, quòd non solùm in habitualis alicujus perfectionis carentiâ consistat, atque adeò pari ratione, quâ peccata omissionis, in absentiâ cujusdam realis actus secundi formaliter posita, ad peccata actualia referuntur, habitualibus peccatis annumeretur, sed & per modum habitus in homine maneat, eumque peccatorem formaliter constituat. Vid. B. *Musc.* in erudito de *Conversione* Tractatu, Disp. III. c. I. §. VII. & Disp. IV. c. I. §. III.

§. 2. Peccatum autem habituale privativum & peccatum habituale positivum non solùm ipsâ suâ formali ratione, sed & effectu peculiari invicem differunt. Quippe per carentiam justitiæ (tùm protoplastis concreatæ, tùm per regenerationem acceptæ) homo spiritualiter est mortuus, seu (ut Apostolus *Eph.* II, 1. *Col.* II, 13. loquitur) *mortuus in peccatis*, & *præputio carnis suæ*, per habitualem verò in malum propensionem (cùm connatam, tùm

acquisitam) proximè & immediatè factus est vivus & actuosus, scilicet ad *vitam, à vita Dei alienam* Eph. IV, 18. ad *vitam hujus seculi, secundùm principem, cui potestas est aëris, & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus*, incedens *in cupiditatibus carnis suæ, & faciens, quæ carni ac cogitationibus libent*, cap. II. 2. 3. Sicut enim justitia cùm originalis, tùm per regenerationem accepta, viribus ad ducendam vitam spiritualiter bonam (h. e. ad exercendos actus motusque spiritualiter bonos) necessariis hominem formaliter instruebat, ita justitiâ primævâ in Adamo deperditâ, omnes homines naturaliter, amissâque justitiâ, quæ in regeneratione accepta erat, ii, qui antea regeniti fuerant, sed nunc renascentiæ statu exciderunt, ex culpa propria ad degendam vitam spiritualiter bonam haud plus valent, quàm illi, qui propriè mortui sunt, ad vitæ naturalis actus & motus in se eliciendos valent. Ac sicut facultates animæ substantiales (intellectus, voluntas, appetitus sensitivus) *per essentiam* sunt potentiæ vitales, atque adeò etiam habituali justitiâ, cùm originali, tùm eâ, quæ in regeneratione impetrata fuerat, amissâ manent vitales; ita utriusque generis justitiâ, quæ ad agendam vitam spiritualem elevabat & inclinabat, deperditâ, contrà verò originali in malum propensione, quæ, B. *Feurbonio* Fasc. II. Disp. IV. §. 11. observante, *non est otiosa qualitas, nec fomes ἀεργὸς & torpidus, sed malum operosum, & ve-*

& venenum vividum, seu fons pessimus, unde mali fluunt rivuli) ad vitam à Deo alienam inclinante & exstimulante, hujusmodi vitæ rationem sectantur, ut homo sit σαρκικὸς (*carnalis*) seu carnalia (*terrena*) tantùm quærat contra Verbum Dei, hoc est, (*Augustanæ Confessionis Apologiâ* pag. 55. interpretante) *quærat non solùm voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem, & confidat his bonis, contemnens DEum.* Dixi studiô, quòd homo per habitualem in malum propensionem *proximè* & *immediatè* factus sit vivus ad vitam â vita Dei alienam. Mediatè enim hominem ad hujusmodi vitæ rationem vivum justitiæ habitualis cùm originalis, tùm in regeneratione acceptæ carentia effecit, quatenus facultates hominis vitales, cùm ob justitiæ illius, viriumqve spiritualium defectum actus spiritualiter bonos elicere nequeant, & tamen otiosæ esse non possint, actus oppositos exercent. Præclarè *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 54. inquit: *Ægra natura, quia non potest DEum timere & diligere, quærit & amat carnalia.*

Th. XXXIV.

Peccatum *habituale* distingvitur porrò in *connatum* (seu originale) & in *acquisitum*. Scilicet ut peccatum habituale connatum tùm de justitiæ originalis connatâ nobis carentiâ, tùm de habituali

in malum propensione, ab Adamo per carnalem generationem in nos propagatâ, dicitur: ita sub peccati habitualis acquisiti nomine tàm justitiæ sive gratiæ habitualis in regeneratione acceptæ, sed per proæretica peccata viciſſim amissæ carentia, quàm habitus positivus per actus peccandi iteratos contractus comprehenditur.

§. 1. Nihil planè impedit, quò minus tùm habitualis justitiæ seu gratiæ in regeneratione acceptæ, sed per peccatum proæreticum viciſſim deperditæ carentiam, tùm iteratis peccandi actibus contractam habitualem in malum propensionem appellemus *peccatum*. Si enim tàm connato nobis justitiæ originalis defectui, quàm habituali ad malum pronitati congenitæ, juxta receptum loquendi morem peccati vocabulum tribuitur, nihil obstare videtur, quò minus idem illud nomen etiam ad justitiæ privationem nostris peccandi actibus contractam, necnon ad habitum peccandi positivum, ex iteratis peccandi actibus natum, transferamus, & sic utrumque illud malum, tàm privativum quàm positivum, ad differentiam peccati originalis peccatum habituale acquisitum nuncupemus, præsertim cum ἀνομία utrinque deprehendatur æquè, ac in peccato habituali connato.

§. 2.

§. 2. Cæterùm connata nobis ad malum pronitas *habitus* peccandi dicitur, non propriè loquendô: habitus enim propriè dictus non est connata qualitas, sed temporis demum successu homini contingit, cùm accidentalis agendi vis naturâ insita ad secundam qualitatis speciem, habitui & dispositioni contradistinctam, pertineat; sed quòd habitui propriè dicto perquàm similis sit, dum, æquè ac habitus, est qualitas positiva permanens, desè & ratione suæ naturæ in subjecto stabilis, hominemque, cui inest, ad operandum (varios nempe, multosque peccaminosos actus) per se & suapte naturâ inclinans. Accuratè Dn. D. *Rechmannus* in annot. ad Inst. Catech. Diet. art. de Pecc. Qv. XIII. pag. 100. scribit: *Strictè loquendô peccatum originis non est habitus* [*nec acquisitus nec infusus*]; *si verò habitus sumatur pro eo, quod se habet per modum habitus & in eo simile est habitui, quod difficulter de subjecto mobile est, peccatum originis dici potest habitus.* Hinc cum Dn. D. *Bajero*, qui in *Theol. Posit. Part.* II. c. I. §. XVI. connatam ad prava inclinationem *habitum propriè dictum vitiosum* adpellitat, loqui hîc veremur.

§. 3. Observandum & probè est, quòd, quando connatam justitiæ originalis carentiam, congenitamque ad prava inclinationem *peccati habitualis originalis* seu *connati* nomine indigitamus, nobis non sit sermo de peccato originis originantis, seu originante [ut *Scholastici*

dicitur), sed de peccato originis originatæ, seu originatô. Peccatum enim originis originantis nec est habituale quid, sed ad peccata actualia propriè pertinet, nec nobis est connatum. Quod ut penitius intelligatur, explicanda hîc est distinctio in peccatum originis originatum, & in peccatum originis originans,

§. 4. Peccatum originis originans est ipse protoplastorum lapsus. Is quippe vocatur peccatum *originis*, non quòd protoplastis concreatus fuerit, & cum ipsa eorum natura originem sumserit, nec quòd eorum posteris connascatur, sed quòd sit origo (seu fundamentum & causa) omnium aliorum generis humani peccatorum, quæ ipsum deinceps subsecuta sunt, nempe non solùm omnium reliquorum peccatorum in primis parentibus, sed & omnium peccatorum in omnibus eorum posteris, adeoque etiam ipsius peccati originalis καθ' ἐξοχὴν seu absolutè sic dicti. Dicitur autem ille ipse lapsus peccatum originis *originans*, quòd sit peccatum humani generis primum, suamque originem ab alio hominum peccato non habeat.

§. 5. Peccatum *originis originatum* (quod ex loquendi usu absolutè & simpliciter peccatum originis nominari consvevit) consistit non tantùm in congenitâ nobis justitiæ originalis carentiâ, sed & in connatâ habituali ad malum propensione. Utrumque hoc malum dicitur peccatum *originis*, non quòd primis statim

tim parentibus concreatum fuerit, & cum ipsa eorum natura originem sumserit: Illi enim creati sunt perfecti, integri, atque ab omni peccato puri & immunes; sed quòd unicuivis ex posteris Adæ inde jam à *prima origine*, i. e. à conceptione, insit, omnibusque eorum peccatis reliquis det *originem*. Peccatum autem originis *originatum* nuncupatur utrumque illud malum, quòd ab alio hominum peccato præcedente (nimirum protoplastorum lapsu) ortum suum traxerit.

§. 6. Conducit & haud parum ad thesin nostram uberiùs explanandam, si peccati habitualis originalis & peccati habitualis acquisiti discrimina pleniùspaulò commonstrentur. Scilicet peccata illa differunt (1) ratione *causæ efficientis*, (2) ratione *subjecti*.

§. 7. Differunt, inquam, ratione *causæ efficientis*, cùm peccatum habituale acquisitum contrahatur usu, seu nostris peccandi actibus, peccatum verò habituale originale statim in utero materno per carnalem generationem contractum sit. Vid. *B. Musæus* in Tr. de Convers. Disp. IV. c. I. §. III.

§. 8. Differunt ratione *subjecti*, cùm peccatum habituale *connatum*, tàm quoad connatam justitiæ originalis carentiam, quàm quoad congenitam in malum propensionem, æqualiter sit omnium hominum ab Adamo per carnalem generationem descendentium; peccatum

tum verò habituale *acquisitum*, quatenus gratiæ in regeneratione acceptæ privationem dicit, eorum tantummodo sit, qui, postquam fuére regeniti, ex proæresi peccant, hôcq; suo proæreticô & contra conscientiam patratô peccatô gratiam excutiunt, &, quatenus habitualem, in malum propensionem denotat, pro ratione adhibitæ aut neglectæ educationis & institutionis rectæ multùm variet. Vid. omninò B. *Musæus* l.c. §. V. & VI.

§. 9. Minimè verò asserimus, peccatum habituale originale positivum, & peccatum habituale acquisitum positivum ita differre, ut entitas positiva, quam peccatum habituale acquisitum includit, sit qualitas facultatibus animæ superaddita, entitas verò positiva, quam peccatum habituale originale importat, non sit diversum quid à facultatibus animæ. Si enim habitualis propensio, in se & præcisâ ἀνομίᾳ considerata, quæ tanquam materiale ad peccati originalis conceptum quidditativum pertinet, consistit in ipsis animæ facultatibus, [e.gr. intellectu, voluntate &c.) consequitur omninò, peccatum originis concretivè sumtum esse ipsam animam, quatenus hæc cum perfectionis inesse debitæ carentia spectatur. Sed hoc dictu absurdissimum esse, superiùs in doctrina de *Peccati Materia* variis argumentis ostensum est. Ex quo nunc adparet manifestè, nos assentiri nequaquam *D. Musæo*, qui peccati ha-

ti habitualis acquisiti & peccati habitualis connati differentiam assignaturus l.c §.IIX.scribit: *In peccato habituali acquisito entitas positiva, in actus malos propendens, est qualitas quædam, per actus peccandi iteratos producta, & facultati agendi superaddita: in connato autem non videtur aliud quid esse à facultatibus agendi. Hæ enim, justitiâ originali destitutæ, propendent PER SE, IMMEDIATE & sine interventu alicujus qualitatis superadditæ in malum.*

LOCUS II.
DE
PECCATO ORIGINIS.

Thesis I.

IN secunda Theologiæ parte, quæ de peccato agit, tractatus de peccato originis κατ' ἐξοχὴν & absolutè sic dictô doctrinæ de peccatis actualibus ideò præmittitur, quòd peccatum illud sit principium, fons ac origo omnium omninò peccatorum actualium in omnibus Adami posteris carnaliter natis.

Th. II.

Originalis peccati distinctè & secun-

cundùm rationem suam specificam spectati existentia ex naturæ principiis cognosci nequit.

§. 1. Ut enim peccati illius distinctè spectati existentiam cognoscamus, nosse oportet, (1.) homines carnaliter natos non tantùm defectu justitiæ primis hominibus concreatæ, & per eorum lapsum vicissim deperditæ, verùm etiam prava concupiscentia ac pronitate in malum statim inde jam à prima origine, i. e. à conceptione laborare, (2) utrumq; illud malum, cùm privativum tùm positivum, ob illum ipsum protoplastorum lapsum ad omnes homines per carnalem generationem propagari, (3) malum illud congenitum per totam hominis naturam ita se diffundere, ut ipsam hominis naturam in universum, omnesque adeò animæ facultates intimè ac profundissimè corrumpat, seu (ut *Formula Concord.* Epit. pag. 574. exponit) *nihil sanum, nihil incorruptum in corpore & anima hominis, atq; adeò in interioribus & exterioribus viribus ejus relinquat.* (4) Id ipsum malum per se & per suam rationem formalem iis omnibus, quibus adhæret, æternæ damnationis reatum adferre. Ast verò homo ex lumine naturæ haud assequitur, justitiam, quæ primo homini concreata fuit, per protoplastorum lapsum in ipsis atque in posteris amissam esse; omnes nunc homines propter primorum parentum culpam ac lapsum justitiâ illâ destitui, ac cum habi-

habituali ad pravũ inclinatione propter eundem lapsum nasci, idq; connatum malum totam hominis naturam intrinsecè afficere, ac omnes animæ facultates tàm profundè corrumpere, nec non eos, quibus sine propria voluntate attractum est, pœnarum æternarum reatui subjicere. Hinc *Formula Concordiæ* l.c. accuratè inquit: *Hoc* [peccatum originis] *quantum sit malum, verbis revera est inexplicabile: neq; humanæ rationis acumine indagari, sed duntaxat per verbum Dei revelatum agnosci potest.* Quò spectat, quod in *Solid. Declar.* pag. 639. dicitur: *Quid & quantum sit hoc ingens hæreditarium malum, id nulla humana ratio indagare aut agnoscere potest; sed, ut Smalcaldici articuli loquuntur, ex Scripturæ Sacræ patefactione discendum & credendum est.*

§. 2. Loquor autem studiò in thesi de peccatò originali *distinctè* spectatò. Illud enim malum, quod Christiani peccatum originis appellitant, homini naturâ adhærescere, ratio ex suo lumine *confusè* intelligit. Quippe (α) ratio ex naturali lumine assequitur, hominem naturaliter carere viribus sibi per se & connaturaliter debitis, quibus, quæ naturæ rationali, ut rationali conveniunt & bona sunt, agere, & quæ eidem disconveniunt & mala sunt, vitare possit: [β] Ratio juxta sui luminis ductum deprehendit in homine connatam ad prava inclinationem, rectæ rationis dictamini contrariam. Hinc ipse *Aristote-*

ſtoteles, Libr. III. Nic.cap. ult. diſertè ſcribens, *concupiſcentiam eſſe malum συγγενὲς* (h. e. congenitum,) *quod, niſi cohibeatur, immenſum in modum augeatur, ut ipſam rationem de ſolio ſuo deturbet*, non tantùm connatam in malum pronitatem ex naturali lumine animadvertit, verùm etiam proclivitatem illam pro re naturæ rationali, quà tali, diſconveniente ex eodem lumine agnoſcit. Malum quippe, quod moralis conſiderationis eſt, intelligit: Atqui omne iſtiusmodi malum naturæ rationali, ut tali adverſatur. Et quod rationem ipſam de ſuo dejicit ſolio, Id naturæ rationali ut rationali omninò diſconvenit. Id ipſum luminis naturalis ductu intellexit *Pythagoras*, quippe qui in *aureo carmine malum σύμφυτον* (congenitum,) *quod tectè ladat*, ſtatuit.

§. 3. Quousque originale peccatum ex naturali lumine innoteſcat, ipſe B. *Joh. Muſeus* in Introd. ad Theol. Part. Pr. c. II. docet, ubi non ſolùm §. 1. monet, *vires agendi bona & vitandi mala deeſſe nunc homini, rationem ex ſuo naturali lumine quidem facilè aſſequi poſſe, quòd autem initiò ei concreata, & poſteà amiſſa fuerint, adſequi ejus ductu non poſſe, atque hinc Philoſopho Chriſtiano hic in ſubſidium vocandam eſſe revelationem divinam, & quibus viribus initiò homo fuerit conditus, & quas nunc habeat, ex ea docendum*; verùm etiam §. 2. obſervat, *neminem non in ſemetipſo animadvertere, quòd homines naturâ omnes in nullum*

non

non malum propendeant, & quotidiè Deum peccatis offendant, &, quia etiam de lapsu hominis primi & hinc ortâ atque per carnalem generationem in omnes propagatâ pravâ concupiscentiâ ac pronitate in malum ratio sibi relicta nihil novit, ad corruptionem & perversitatem naturæ humanæ plenius declarandam rursum recurrendum esse ad divinam revelationem, & inde, quæ naturæ lumen suggerere non potest, supplenda.

Th. III.

Divina verò in Scripturis Sacris comprehensa Revelatio originalis peccati existentiam tàm distinctè tradit, ut doceat (1.), omnibus hominibus carnaliter natis profundissimam intimamque naturæ humanæ corruptionem moralem congenitam esse, (2) hanc corruptionem propter lapsum protoplastorum hominem hæreditariò à parentibus accipere, (3) eandem corruptionem esse peccatum propriè dictum, hominesq; mortis temporalis & æternæ damnationis reos constituere.

§. 1. Quòd (1.) hominibus carnaliter natis à prima statim nativitate naturæ humanæ corruptio insit, liquet cum maximè ex *Gen.* VI, 5. cap. VIII, 21. ubi *omne figmentum cogitationum*

num cordis humani, omneque cordis illius figmentum, tantummodò malum omni die, & à pueritia esse dicitur. Antequam verò ex illis dictis argumentum exstruatur, sensum ejus uberiùs declarabo. Videlicet cùm *figmentum cogitationum cordis* idem sit, quod cogitationes animo conceptæ, fictæ quasi & formatæ; & *figmentum cordis* sit omne, quod cor concipit, & instar figuli fingit, cujusmodi sunt cogitationes & desideria cordis, atq; adeò figmentum cogitationum cordis humani, & figmẽtum cordis humani ibi actũ cogitandi & appetendi formaliter denotet; sanè, dum cordis humani figmentum *tantùm malum* esse perhibetur, sensũ est, nullum hominis actum cogitandi, nullum ejũ actum appetendi esse bonum. Ac licet non simpliciter inficiemur, vocem נעוריו significare eam etiam ætatem, quâ homo incipit ratione uti, quod fere fit anno sexto, ut ait B. *Luth.* in *Gen.* c. IIX. p. 407. imò ipsam juventutem: (siquidem nomen cognatum נער 1. Sam. II, 13. & 15. adolescentem quoque denotat, & 1. Reg. XVIII, 12. Obadias ad Eliam dicit: *Servus tuus timet Dominum*, מנעוריו); hìc tamen ipsam infantiam, seu eam ætatem, quâ homo ex utero materno in hanc lucem editur, simul designat. Omni enim die (h. e. continuè, & omni tempore), atque adeò etiam à prima infantia omne humani cordis figmentum tantùm malum esse asseritur. Nec verò acceptio illa contorta est aut inu-

inusitata. Nam non tantùm favet ei radix נער, quæ idem significat quod *excussit*, sed & adstruit ipsam nomen cognatum נער, quod passim in Scripturis Sacris de puero ex utero materno recens excusso, ut *Exod.* II, 6. de recens nato Mose, *Jud.* XIII, 5. de infante Samsone, & 1. *Sam.* I, 22. de Samuele infante usurpatur. Hinc ex *Hieronymi* Quæstionibus in Genesin *Flacius* Part. II. Clav. p. m. 186. inquit: *Secundùm Hebræorum idioma infans vocatur omnis filius ad comparationem parentum.* Hisce præmissis argumentamur hunc in modum: *Si in homine omnes actus cogitandi & appetendi omni die, atque inde ab infantia tantùm mali sunt, sequitur, quòd illi ipsi actus mali sint non saltem ex aliorum imitatione, sed ex inhærente, & connata humanæ naturæ corruptione morali.* Antecedens liquet ex *Gen.* VI, 5. & cap. VIII, 21. Consequentia manifesta est. Si enim in homine actus cogitandi & appetendi omni die atque inde ab infantia solummodò mali sunt, sanè eâ ætate ac die sunt mali, quâ rationis usus sese non ita exerit, ut homo mala aliorum exempla imitari possit. Quod si autem eâ etiam ætate, quâ homo perversos aliorum mores æmulari nequit, omnes ejus cogitandi & appetendi actus tantùm mali sunt, certè tunc non nisi ob connatam humanæ naturæ corruptionem pravi existunt. Scilicet mali cogitandi & appetendi actus, qui inde à teneris cuivis homini naturâ insunt, etsi formaliter actum secundum dicant, suppo-

nunt tamen fontem sui, ac scaturiginem, congenitam puta humanæ naturæ habitualem corruptionem, quâ ipsæ cogitandi & appetendi facultates sic depravatæ sunt, ut bonæ cogitationis aut appetitionis actum in se elicere ne possint quidem, sed sint ad producendos cogitandi aut appetendi actus malos propensissimæ. Sic igitur ea existentiæ peccati originalis probatio, quæ ex *Gen.* VI, 5. cap. VIII, 21. peti solet, est probatio à posteriori & ab effectu petita.

§. 2. *Sociniani* communiter allatæ argumentationis antecedens negant, idque ex voce מגיבור probari solidè non posse, ex ea ratione contendunt, quòd, licet Goliathus 1. *Sam.* XVII, 33. vir belli מגיבור fuisse perhibeatur, inde tamen inferri nequeat, ipsum à prima statim conceptione ac nativitate virum belli extitisse. Sed resp. 1. In nostri argumenti antecedente dicitur insuper, *omni die* nullum hominis actum cogitandi & appetendi esse bonum; ast verò Goliathus *omni die* vir belli fuisse haud perhibetur. 2. Nihil obstat, quò minus Goliathum à prima statim conceptione ac nativitate hominem belli fuisse dicamus: Haud dubiè enim in bello natus & educatus fuit.

§. 3. Speciatim *Socinus* Prælect. c. IV. fol. 11. excipit, *Gen.* VI, 5. *non naturalem, sed voluntariam concupiscentiam intelligi*, quia, *si naturalis intelligeretur, ea neque ut causa immissi diluvii, neque ut res nova ac inexpectatum Deo accidens, ut eum, quòd homi-*

hominem feciſſet, pœnituerit, allegaretur. Verùm enim verò non ſolùm voluntaria, ſed & naturalis concupiſcentia *Gen.* VI, 5. ſignificatur, cùm omni die, ac proinde eâ quoque ætate, quâ concupiſcentia voluntaria & flagitia præelectiva nondum in homine locum habent, actus cogitandi & appetendi tantùm mali eſſe illic dicantur. Ibidem & naturalis concupiſcentia ut cauſa immiſſi diluvii, atque ut res, propter quam Deum formationis hominum pœnituit, allegatur, quatenus quidem ſpectatur ut exaſperata & aggravata per actualia, proæretica, & horrenda primi mundi flagitia. Vid. B. *Juſti Feurbornii* Faſcic. II. Diſp. IV. §. 12.

§. 4. Nec verò *Simon Epiſcopius* argumenti noſtri conſequentiam infringit, quando in *Inſtit.* Theol. Libr. IV. Sect. 5. cap. 2. urget, quòd ſi ex *Gen.* VI, 5. congenita humanæ naturæ corruptio, h. e. peccatum originale, evinci poteſt, ſtatuendum omninò ſit, Deum jam temporibus Abelis & Caini diluviô mundum perdere potuiſſe. Præterquam enim, quòd dictu abſurdum non ſit, Deum jam Abelis & Caini ætate ſecundùm juſtitiæ ſuæ rigorem humanum genus per diluvii aquas delere potuiſſe, tota *Epiſcopii* exceptio in ipſum retorqueri poteſt. Is enim illud, de quo hîc diſputatur, Geneſeos dictum præciſè de peccatis actualibus explicat: At verò, ſi de ejuſcemodi peccatis ſermo ibi eſt, ſequitur inde, Deum [quod *Epiſcopio* abſurdum videtur] Abelis &

Caini ævô mundum diluviô extinguere potuisse.

§. 5. (II.) *Omnibus* hominibus carnaliter natis naturæ humanæ corruptionem congenitam esse, ex iisdem *Geneseos* locis, nempe ex Gen. VI, 5. & cap. VIII. v. 21. manifestum est. Si enim in homine actu cogitandi & appetendi sunt mali ex inhærente & connata humanæ naturæ corruptione, sanè *omnibus* hominibus carnaliter natis naturæ humanæ corruptio congenita est. Nam in homine quocunque figmentum cordis humani est pravum; id quod *Gen.* VI. & VIII. hôc ipsô significatur, quòd *cor hominis* indefinitè, & absque ullius hominis exceptione commemoratur.

§. 6. Eadem subjecti, cui corruptio moralis congenita inhæret, universalitas probatur porrò ex *Jobi* c. XIV. v. 4. ubi ipse ait: *Quis dabit mundum ex immundo? Nec unus.* Perinde enim est, ac si dixisset: Nemo sistere potest hominem, qui mundus sit, & tamen ex immundis parentibus sit oriundus. Non autem (quod *Socinus* Prælect. Theol. c. IV. fol. 12. existimat) de creaturarum ad Deum collatarum imperfectione, qualis impuritas in ipsos sanctos angelos cadit; nec (quod Socini assecla, *Ostorodus*, Instit. Germ. c. 33. arbitratur) de immunditie in eo saltem consistente, quòd homo ex materia immunda & vilissima, terrâ videlicet, conditus sit, nec (quod *Episcopius* l. c. putat) de ea immunditie physicâ, quæ sit omnis

omnis infirmitas & corruptibilitas, unde omnis generis ægritudines, morbi, miseriæ & dolores nascuntur, Jobus loquitur. Differit enim de ea immunditie, ob quam aliquis premitur calamitatibus, atque à Deo in judicium trahitur. Ast verò nec ob quamlibet imperfectionem, nec ob immunditiem in eo consistentem, quòd ex immunda & vilissima materia procreati sumus, nec ob physicam illam, quam *Episcopius* hîc prætendit, immunditiem quisquam calamitatibus Deique judicio subjicitur. Si enim creaturæ ob eam, quâ in comparatione ad Deum laborant, imperfectionem calamitatibus expositæ essent, & tanquam pœnâ dignæ coram divino judicio sisterentur, hoc quoque in angelos bonos, quippe qui ad Deum collati admodùm imperfecti sunt, caderet. Et, si homines eò, quòd ex immunda vilique materia producti sint, ærumnis Deique judicio subjacerent, primus etiam homo jam ante lapsum calamitatibus judicioque divino obnoxius fuisset. Sic & omnes fateri necessum habent, homines non propter physicam, sed tantùm ob moralem immunditiem calamitatibus premi, atque in irati Numinis judicium trahi. Hinc ex ipsa Socinianorum turba *Slichtingius* Socini sui & Ostorodi glossas rejicit, dum c. *Meisner.* de *Trin.* fol. 896. disertè profitetur, *Jobum loqui de immunditie in peccato consistente.*

§. 7. Nunc igitur ex citatis Jobi verbis

ita argumentamur: *Quicunque nati sunt ex parentibus peccatoribus, illi immunditie seu corruptione morali laborant* (juxta allegata Jobi verba.) *Atqui omnes infantes, qui geniti sunt carnaliter, nati sunt ex parentibus peccatoribus:* (Omnes enim homines defecerunt, simul inutiles facti sunt, non est faciens bonum, ne etiam unicus, *Psal.* XIV, 3. LIII, 4. Non est homo, qui non peccet, 1. *Reg.* IIX, 46. 2. *Paral.* VI, 36. Quis potest dicere, mundus sum corde, purus sum à peccato? *Prov.* XX, 9. Omnes peccarunt, & destituuntur gloriâ Dei, *Rom.* III, 23. Omnes nostræ Justitiæ sunt instar panni menstruatæ, *Es.* LXIV, 6. Omnes sancti orant, ut peccata sibi remittantur, *Ps.* XXXII, 5. 6.) *Ergò omnes infantes, qui geniti sunt carnaliter, corruptione morali laborant.* Hinc porrò sic concludo: *Si omnes infantes, qui geniti sunt carnaliter, morali corruptione laborant, sequitur, quòd omnes illi infantes cum congenita corruptione morali in lucem hanc edantur.* Nec enim infantes eâ statim die ac horâ, quâ ex utero materno prodeunt, moralem, quâ laborant, corruptionem ac immunditiem aliunde habere possunt, quàm ex nativitate.

§. 8. Ut thesis nostra sufficienter probetur, nunc (III.) ex Scriptura Sacra ostendendum, moralem illam corruptionem, quæ est omnibus hominibus carnaliter natis congenita, esse profundissimam intimamque totius naturæ humanæ, & omnium hominis virium, inprimis verò superiorum & principalium animæ

mæ facultatum, corruptionem. Scilicet homo carnaliter natus omni prorsus luce ad ea, quæ Spiritus Dei sunt, salutariter cognoscenda destituitur, 1. *Cor.* II, 14. quia imò intellectus ejus in spiritualibus obtenebratus & excœcatus est *Eph.* IV, 17. 18. c. V, 8. Sic & homo carnaliter natus, qualis est in se & in sua natura, nihil planè virium possidet ad objecta spiritualia efficaciter expetenda & prosequenda. Nam non tantùm à vita Dei prorsus abalienatus est ob ignorantiam, quæ est in ipso, & excœcationem cordis sui, *Eph.* IV, 18. sed & in peccatis mortuus est, *Eph.* II, 5. Quemadmodum igitur corporaliter mortuus seipsum resuscitare nequit, imò nihil agere potest: ita nec spiritualiter mortuus seipsum spiritualiter resuscitare (h. e. seipsum convertere & regenerare) valet, imò nil planè spiritualis boni velle aut operari potest. Ille ipse homo juxta concupiscentias carnis est corruptus, Eph. IV, 22. Quid? quòd moralis corruptio ac immundities in cujusvis hominis ab Adamo carnaliter descendentis mortali corpore, ejusque omnibus ac singulis membris deprehendatur, *Rom.* VI, 12. c. VII, 23. seqq.

§. 9. Ad demonstrandam thesin nostram [IV.] evincendum est, quòd *corruptio illa moralis, quæ omnibus hominibus carnaliter natis congenita est, propter lapsum protoplastorum à parentibus ad posteros per naturalem generationem propagetur:* Id verò nunc probamus unicè ex *Rom.* V, 12. ubi inquit

inquit Apostolus: *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Hîc enim tria docet Apostolus: [1] omnes eos, qui moriuntur seu moriendi necessitati obnoxii sunt, (h. e. omnes homines à protoplastis per carnalem generationem descendentes) habere congenitam corruptionem in peccato consistentem, h. e. connatam corruptionem moralem; [2] hanc corruptionem propter Adami lapsum ad homines pervenisse; [3] eandem illam corruptionem à parentibus ad posteros per naturalem generationem propagari. Primum significat hôc ipsô, quòd non tantùm in illis verbis: *per peccatum mors in mundum introivit*, sed & in hocce additamento: *& sic mors in omnes homines pertranſiit, ἐφ' ᾧ* (in quo) *omnes peccaverunt*, peccatum omnibus hominibus adhærens, ut mortis ad omnes homines pervadentis causam, allegat. Quod si enim omnes omninò homines, tàm adulti, quàm infantes cùm in utero materno adhuc latentes, tùm recens nati, mortis necessitati ob peccatum sibi adhærens, seu ob corruptionem in peccato consistentem obnoxii sunt, inevitabilis necessitas nos cogit, ut asseramus, verbis illis, quèis mortis in omnes transeuntis causa denotatur, designari corruptionem omnibus omninò hominibus, cùm adultis, tùm tenerrimis infantibus, communem. Atqui hæc corruptio non potest non esse congenita & conna-

connata, cùm infantes tenelli peccatis actualibus voluntariis haud polluantur. Patet igitur ex hactenus dictis, assertum istud, quòd omnes illi, qui moriendi necessitati subjiciuntur, congenitam corruptionem in peccato consistentem habeant, Apostolum in loco citato tradere, sive τὸ ἐφ' ᾧ, quod in textu reperitur, ad unum illum hominem, de quo proximè dictum fuerat, quòd per eum peccatum transierit in mundum, referatur, sive causaliter aut reduplicativè per *τὸ quia*, vel *quatenus* explicetur. Si enim priorem explicationem [quæ veteribus Ecclesiæ Doctoribus, & plerisque interpretibus recentioribus placet, quamque B. *Scherzerus* in Colleg. Anti-Socin. Disp. XXXI. pag. 264. ex textus συναφείᾳ, antithesi, & peccantium distinctione evincere allaborat] amplectaris & urgeas, manifestum est, Paulum l. c. significare, quòd omnes homines à protoplastis per carnalem generationem oriundi congenitâ corruptione morali laborent: Nec enim peccatum illud, quô omnes homines, tàm adulti, quàm infantes, in Adamo & ex ejus lapsu, seu per Adamum ejusque inobedientiam pariter infecti sunt, & propter quod mortis necessitati æqualiter subjiciuntur, in ulla alia re, quàm in corruptione morali congenitâ, constitui potest. Nec minùs liquidò de eo ipso asserto constat, si explicatio altera (quæ *Erasmo* quoque arrisit)

locum inveniat, & verba illa: ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, sic reddantur: *eò, quòd* [vel quatenus] *omnes peccarunt.* Illud enim commune peccatum, ad quod tanquam ad causam communem communis peccandi necessitas reducitur, in nulla alia re, quàm in congenita corruptione morali, consistit. Quocirca cum *Slichtingio*, qui priorem explicationem *Tom.* I. Comment. fol. 203. ridet, & cum *Episcopio*, qui Instit. Theol. Libr. V. Sect. V. c. II. verba, ἐφ' ᾧ, non per τὸ *in quo* (primo scilicet homine,) sed per τὸ *eò quòd*, vel *quatenus*, vertenda esse contendit, hîc magnoperè decertandum haud esse existimamus, præsertim cùm ipse B. *Lutherus* eadem illa verba *causaliter* (dieweil Sie alle gesündiget haben) reddiderit; atque noster B. *Gerhardus* Isag. Theol. Loc. Disp. XXIV. c. II. p. m. 869. seq. *Observa*, inquit, *perinde esse, sive* ἐφ' ᾧ *accipiatur relativè, quòd in Adamo tanquam capite & stipite omnes posteri peccaverint, sive quòd, MAGIS PROBAMUS, causaliter, quod in omnes homines mors pertransierit, propterea quia omnes peccaverunt, i. e. peccato obnoxii nascuntur.* Secundum, quod l. c. à Paulo significari monuimus (corruptionem nempe congenitam *propter Adami lapsum*, seu ex Adami lapsu ad omnes homines pervenisse,) Apostolus indicat, quando *per unum hominem peccatum in mundum introivisse* ait. Quippe *mundi* vox hîc omnes in mundo contentos, & per carnalem generationem à protoplastis descen-

descendentes homines designat, cùm, sicut in verbis proximè sequentibus *τὸ mortem introivisse in mundum* Paulo idem est, atque eam in omnes homines pervasisse, ita & *τὸ peccatum per unum hominem introivisse in mundum* Apostolo nihil aliud denotet, quàm peccatum per unum hominem in omnes homines transivisse: Ac per unum illum hominem, per quem in mundum intravisse peccatum perhibetur, intelligit Paulus Adamum, cùm in versu subsequente 14. ubi mors ab Adamo usque ad Mosen regnasse dicitur, unus ille homo, per quem peccatum & mors in mundum introivére, expressè appelletur Adamus, atque vers. 15. ac seqq. inter Adamum & Christum comparatio per hoc instituatur, quòd iste sit unus ille homo, à quo peccatum & mors propagatur, hic unus ille homo, à quo propagatur justitia & vita. Quamvis verò etiam per Evam peccatum in mundum introiverit, quatenus ipsa non tantùm prior peccavit, & Adamum in peccati consortium pellexit, verùm etiam ad generationem, per quam peccatum ad posteros propagatum fuit, concurrit: Paulus tamen per unum hominem, nempe per Adamum, peccatum in mundum pervasisse dicit tùm ob antithesin, quæ est inter Adamum & Christum, atque in versiculis seqq. nec non 1. *Cor.* XV, 21. seqq. declaratur, tùm quòd Adam fuerit principium generationis activum, & causa propagationis peccati principalior. Cæterùm quando per Adamum peccatum in mundum introivisse dicitur, ipse non saltem quoad natura-

naturalem generandi actum, per quem peccatum ad posteros transfudit, sed & ratione lapsus sui spectatur, ut adeò verba illa : δι' ἑνὸς ἀνθρώπου [*per unum hominem*] simul indicent, *unius hominis lapsu* seu peccatô peccatum in mundum intrâsse. Hoc sanè ipse Apostolus haud obscurè significat, dum in vers. 15. τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι (h. e. *unius delictô*) multos mortuos esse ; v. 17. τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι (*unius delictô*) mortem regnâsse διὰ τοῦ ἑνὸς (h. e. *per unum*;) v. 19. διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου (h. e. *per inobedientiam unius hominis*) peccatores multos constitutos esse asserit. Tertium, quod *Rom.* V, 12. à Paulo subinnui observavimus, *corruptionem* scilicet *omnibus hominibus congenitam à parentibus ad posteros per naturalem generationem propagari*, hôc ipsô significat Apostolus, quod corruptionem moralem omnibus hominibus congenitam esse, eamque per Adamum ad omnes homines perveniisse docet. Nihil enim ita omnibus ac singulis hominibus connascitur, ut per Adamum ad universum humanum genus pertingat, nisi per generationem naturalem à parentibus ad posteros propagetur. Quando autem contendunt hîc *Sociniani*, per Adamum peccatum ad omnes posteros transiisse non naturali generatione, sed imitatione, quòd omnes Adamum in peccato imitati ad ejus similitudinem peccent, non tantùm nihil, quô consequentia nostra destruatur, adferunt, sed & Apostolo manifestè contradicunt. Nihil, inquam, hîc dicunt, quod consequen-

sequentiam nostram convellit. Non enim eum saltem in modum colligimus: *Quod per primum hominem ad omnes ejus posteros pervenit, id à parentibus ad posteros per naturalem generationem propagatur*; Sed hæc est nostra consequentia: *Quicquid ita hominibus omnibus connascitur, ut per primum hominem ad omnes posteros pertingat, id à parentibus ad posteros per naturalem generationem propagatur.* Jam verò id, quod omnibus hominibus connascitur, per imitationem ad omnes homines pervenire repugnat: Nec enim infantes tenelli in utero materno adhuc latentes, aut recens nati mala aliorũ exempla imitari valent. Contradicunt & Paulo suâ hâc exceptione *Sociniani.* Apostolus enim in eo, de quo hîc agitur, loco ostendit, omnes eos, qui moriendi necessitati obnoxii sunt, laborare peccatô per Adami lapsum introductô. Quod si autem omnes, qui moriendi necessitatem contraxerunt, peccatô per Adamum invectô polluuntur, sanè etiam infantes recens nati, imò in utero adhuc constituti, quippe qui mortis necessitati subjacent, peccato per lapsum introducto contaminantur. At verò peccatum, quô infantes illi inficiuntur, non est contractum ex imitatione, quia ipsi ob tenellam ætatem mala aliorum exempla æmulari nequeunt. Ad hæc Apostolus in vers. subsequente 14. dicit, morti (& sic etiam peccato per Adamum introducto, quod tanquam mortis causam ipse allegat) illos quoque obnoxios factos esse, qui non peccarunt ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ

(ad

(*ad similitudinem transgressionis Adami*) h. e. qui suâ & propriâ voluntate peccatum actuale, quale Adamus patravit, non commisêre, adeoque Adamum in peccando haud sunt imitati.

§. 10. *Episcopius* l. c. omnes illas conclusiones, quas hactenus ex *Rom.* V, 12. deduximus, unâ exceptione evertere se posse arbitratur, si contendat nempe, Apostolum per peccatum, quod introivit in mundum, personale Adami peccatum, (h. e. legis de non comedendo transgressionem,) non autem peccatum universo humano generi commune intelligere, atque adeò id tantùm, quòd Adam peccatô suô personali initium peccandi in mundo fecerit, significare. Verùm enim verò Apostolum per peccatum illud, quod per Adamum in mundum intravisse inquit, peccatum omnibus ac singulis hominibus adhærens intelligere, ex eo liquet, quòd non tantùm ipse (Apostolus) verbis in eodem illo versiculo occurrentibus: *& sic mors ad omnes homines pertransiit*, ἐΦ' ᾧ *omnes peccaverunt*, itemque v. 19. verbis hisce: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, clarè doceat, per peccatum illud, quod per Adamum in mundum intravisse dixerat, omnes homines in esse peccantium intrinsecè & formaliter constitui, verùm etiam voces v. 12. adhibitas: *Per Adamum*, jam primum Adami peccatum connotare, in §. præced. à nobis ostensum sit, adeoque, si per peccatum in mundum per Adamum introductum intelligatur ipsum Adami peccatum personale, absurdè dicendum sit, per primum Adami pecca-

peccatum in mundum introiviſſe primum Adami peccatum.

§. 11. Ad theſin noſtram ſecundùm omnia ſua membra demonſtrandam [V.] nunc probandum, quòd illa *moralis corruptio, quæ hominibus carnaliter natis congenita eſt, peccati propriè dicti rationem verè habeat.* Id quod itidem ex illo ipſo, ad quod in proximè antecedente paragrapho provocavimus, dicto evictum imus. Docet enim ibidem Apoſtolus, congenitam hominibus corruptionem moralem tale eſſe *peccatum, per quod mors in mundum introivit.* Hinc verò ita concludimus: *Cuicunque corruptioni Scriptura Sacra non tantùm peccati nomen ſimpliciter & abſolutè tribuit, verùm etiam peccati propriè dicti effectum formalem, vel proprietatem ejus eſſentialem ac inſeparabilem adſcribit, ea eſt peccatum propriè dictum. Atqui morali corruptioni hominibus congenitæ Scriptura Sacra non ſolùm nomen peccati ſimpliciter & abſolutè tribuit, verùm etiam peccati propriè dicti effectum formalem, vel proprietatem ejus eſſentialem ac inſeparabilem adſcribit. Ergò corruptio moralis, hominibus congenita, eſt peccatum propriè dictum.* Minor propoſitio exinde manifeſta eſt, quòd, quando Apoſtolus l. c. (*Rom.* V, 12.) ingeneratam hominibus moralem corruptionem adpellitat peccatum, per quod mors in mundum introivit, corruptioni illi non ſolùm peccati nomen abſolutè & ſimpliciter attribuat, ſed & peccati propriè dicti effectum formalem, vel proprietatem ejus eſſentialem ac inſeparabilem, nempe reatum pœnæ (e. gr. mortis) adſcribat. Majoris propo-

propositionis veritas ex eo elucet, quòd, ubi est peccati propriè dicti effectus formalis, vel proprietas ejus essentialis ac inseparabilis, ibi peccatum propriè dictum dari necessum sit.

§. 12. Ea ipsa assertio, quòd ingenita mortalibus moralis corruptio peccati propriè dicti rationem seu naturam verè habeat, ostenditur insuper ex *Psalm.* LI, 7. ubi Psalmista inquit: *Ecce in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea.* David quippe hîc in eo occupatus est, ut Deum, cujus iram atrocissimis delictis (adulterio & homicidio) provocaverat, ad commiserationem, & impertiendam patratorum criminum veniam permoveat. Quod ut obtineat, naturam suam corruptam, peccatumque sibi inde à conceptu & nativitate insitum, quô stimulatus scelera tanta commiserit, Deo in animum revocat. Videlicet (quod B. *Feurbornius* Fascic. II. Disput. IV. §. 13. annotat) ingenerata corruptio, uti aliàs *Gen.* VIII, 21. hîc quoque allegatur, *non ut causa, per & propter quam homo clementiam Dei promereatur*: (*iram enim meretur & vindictam*;) *sed ut medium, per quod hominis miseria, propter quam clementia Dei necessaria ipsi sit, exponatur.* David igitur pœnitentiâ ductus hunc in modum concludit: *Ego in & cum iniquitate* (perversitate, pravitate) *adeò in utero statim formatus sum, ut etiam mater mea me, embryonem adhuc, in & cum peccato calefaceret*, (hoc est, ego tùm statim, cùm genitrix mea me conciperet, ac in utero calore suô maternô fovere inciperet, peccaminosus peccatique labe

labe infectus fui;) *atque ex hâc inde à prima conceptione mihi inhærente corruptione horrenda illa flagitia, adulterium & homicidium, commisi: Remitte ergò pro immensa Tua misericordia, qvicqvid ex tanta naturæ meæ corruptione perpetravi.* Noſtrum autem, qvod ex illis Pſalmiſtæ verbis nectimus, argumentum huc redit: *Cuicunqve corruptioni in Scriptura Sacra absolutè & simpliciter nomina peccatum propriè dictum denotantia ita tribuuntur, ut nulla propriam significationem deserendi necessitas appareat, ea est peccatum propriè dictum. Atqvi corruptioni morali hominibus congenitæ, & inde à prima conceptione inhærenti in Scripturâ Sacra absolutè & simpliciter nomina peccatum propriè dictum denotantia ita tribuuntur, ut nulla propriam significationem deserendi necessitas appareat. Ergò corruptio moralis hominibus congenita, & inde à prima conceptione inhærens, est peccatum propriè dictum.* Major propoſitio inde liqvet, qvòd vel ſecundùm naturalem intelligendi rationem in propria & uſitata verborum ſignificatione ſit perſiſtendum, qvamdiu non manifeſta circumſtantia textus, aut ſubjectæ materiæ conditio, aliave urgens ratio ad impropriam ſignificationem deſcendere cogit. Minoris veritas exinde claret, qvòd non tantùm nomina Ebræa *Pſalm.* LI, 7. in textu primigenio obvia (עון & חטא) qvia illud aberrationem à regula morum, hoc exorbitantiam à lege divina, tanqvam præfixo hominibus ſcopo, formaliter deſignat, peccatum propriè

priè dictum denotent, sed & adversarii nullam hactenus rationem validam, qvæ à propria peccati acceptione nos hîc depellat, proferre in medium valuerint. Certè significatum improprium hîc minimè evincunt adversarii, qvando ad peccatum propriè dictum rationem τοῦ voluntarii reqviri, congenitam autem naturæ humanæ corruptionem hominibus ita natis non voluntariam, sed necessariam esse contendunt. Demonstravimus qvippe in Loco Theologico proximè antecedente, ad esse peccati propriè dicti minimè reqviri, ut ei, qui hîc & nunc, proximèqve peccator inde denominatur, propriè sit voluntarium.

§. 12. *Episcopius* Libr. IV. Instit. Theol. sect. V. c. 2. allati argumenti nostri minorem propositionem inficiatur. Contendit qvippe, Davidem *Psalm.* LI, 7. planè non loqvi de congenita sibi corruptione, qvia, si hoc esset, omnem culpam enormis adulterii ac homicidii in Deum potiùs autorem, qvàm in se, devolveret, ac diceret qvasi: Peccavi quidem, ô Deus, sed Tu nosti, qvæ causa horum fuerit, nempe peccatum originale, qvô me in Adamo peccatorem voluisti; contrà verò in Davidis verbis occurrere hyperbolen, qvâ utatur is ad exaggeranda & efficaciùs vituperanda peccata sua actualia (hoc est, dicere Davidem, se in iniqvitate formatum esse, & in utero matris calefactum in peccato,

peccato, ut significet, se inde à teneris peccasse, & peccatum sibi qvasi naturale esse, qvamvis reverà naturale non sit.) Sed resp. (1) Non seqvitur: David de ingenita sibi corruptione loqvitur; Ergò omnem commissi adulterii & homicidii culpam in Deum potiùs autorem, qvàm in semetipsum, refert, & dicere qvasi vult: peccavi qvidem, ô Deus, sed Tu nosti, qvæ causa horum fuerit, nempe peccatum originale, qvô me in Adamo peccatorem voluisti. Dum enim David in ingenua peccatorum suorum confessione de corruptione sibi connata loqvitur, id non eô facit fine, ut enormium peccatorum suorum culpam in Sanctissimum Justissimumqve Numen devolvat, sed ut potiùs ex malitia sua habituali, sibiqvè præter voluntatem Dei propter primorum parentum lapsum congenitâ, tanqvam ex fonte pessimo, crimina illa promanasse subinnuat, & naturalem hanc corruptionem ut medium, per qvod hominis miseria, propter quam clementia Dei necessaria ipsi sit, exponat. Resp. (2) Non, nisi cogente necessitate, à communi, proprio, ac nativo verborum sensu recedendum est: Atqvi nulla necessitas, ut sensum istiusmodi hîc linqvamus, nos adigit. Meritò ergò nos literæ hîc insistimus, donec cogentibus argumentis nos adversarii ab ejus proprietate depellant.

§. 13. Nonnulli *Rabbini*, qvorum glossas

Simeon de *Muis* Comment. in Pſalm. LI. longâ ſerie produxit, & *Anabaptiſtæ* illam ipſam argumenti noſtri minorem propoſitionem itidem negant, dum Davidem planè non de ſuo peccato, ſed de alieno, matris puta, qvæ ipſum in libidine conceperit, conqveri obtendunt. Verùm huic exceptioni obſtat (I) loqventis Davidis ſcopus. Nam [α] ſcopus Davidis eſt, non alienam, ſed propriam ſuam culpam confiteri: Culpa matris autem, qvàm per libidinoſam conceptionem ipſa contraxerat, nihil ad Davidem pertinebat. [β] David jam non in eo eſt, ut parentes ſuos, eorumqve peccata accuſet, ſed ſuam ſuæ naturæ corruptionem, (qvòd ſcilicet ſuâ corruptâ naturâ, ſuôqve peccatô in utero materno contractô ſtimulatus ſcelera hæc perpetraverit,) ad mitigandam divinam iram, & ad impetrandam patrati adulterii & homicidii veniam urget. (II.) Eidem illi exceptioni contextus totus repugnat. Qvippe (a) ſi David non ſuam ſuæ naturæ corruptionem hîc designare, ſed parentum ſuorum peccata arguere vellet, non matris ſolius, [qvod tamen ſit in textu,] ſed patris qvoque faceret mentionem. Pater enim non minus, qvàm mater, pravâ libidine & concupiſcentiâ ad concubitum exſtimulatur. (b) Illa, qvæ in contextu originali adhibentur, verba, חוללתי & יחמתני (*formatus ſum*, & *calefecit me*) formaliter non tàm concubitum, qvàm ipſam fœtus for-

formationem, & in utero calefactionem important. [c] Illa ipsa verba formaliter actum peccaminosum haud denotant. Nec enim apparet, qvomodo actus ille, qvô membra formantur in utero, fœtusqvè ibi fovetur, peccaminosus dici qveat. Uti enim facultas πλαςικὴ merè naturalis est; ita membrorum formatio eorumqve calefactio in utero est actus merè naturalis, moralitatis nullâ ratione capax.

§. 14. Ex Socinianis *Ostorodus* Instit. Germ. c. 33. hîc excipit, Davidem de se loqvi, non autem de aliis hominibus, qvòd in iniqvitate formati & concepti sint, asserere. Sed resp. Jam non sumus in eo occupati, ut moralem naturæ humanæ corruptionem omnibus hominibus congenitam esse demonstremus, sed id tantùm nunc agimus, ut ingeneratam moralem naturæ humanæ corruptionem, qvibuscunque hominibus insit, peccatum propriè dictum esse ostendamus. Atqvi hoc ipsum insinuat David, qvando morali naturæ humanæ corruptioni, qvæ sibi quoque innata sit, nomina peccatum propriè dictum denotantia absolutè & simpliciter attribuit. Unde *Ostorodi* exceptio nec ad majorem, nec ad minorem argumenti nostri propositionem convellendam qvicqvam facit. Qvanquam & ex isthoc Davidis dicto probari solide possit, moralem naturæ humanæ corruptionem omnibus hominibus esse congenitam. Licet enim Psalmista

de se verba faciat, non tamen loqvitur de re sibi in individuo propria & peculiari, sed quæ sibi secundùm communem naturæ ordinem & nascendi consvetudinem conveniebat: Qvod autem alicui individuo secundùm communem naturæ ordinem & nascendi consvetudinem convenit, id rectè hominibus omnibus ordinariè attribuitur. Dicis: An ergò ex uno singulari inferre licet universalem conclusionem? Resp. Omninò à singulari ad universale valet consequentia, non qvidem vi formæ, sed vi materiæ, si scilicet unum singulare tantam habeat vim ac claritatem, ut statim intellectus noster illô cognitô intelligat, ita se rem habere in omnibus. Hinc & Apostolus ex eo, qvod Abraham justificatus est fide sine operibus, rectè concludit, qvòd omnes, qui justificantur, justificentur fide absqve operibus: Eadem qvippe est ratio justificationis quoad omnes homines. Confer. *Instit.* nostræ *Log. Sacr.* pag. 278.

§. 15. Tandem, ut thesis nostra plenissimè demonstretur, ostendendum (VI.) est, *congenitam corruptionem moralem homines temporalis & æternæ mortis reos constituere.* Scilicet, qvòd in homine mortis temporalis reatum inducat, jam in præcedente §. X. ex *Rom.* V, 12. docuimus. Qvòd & cum æternæ damnationis reatu conjuncta sit, liqvet inprimis ex *Eph.* II, 3. ubi Apostolus, de Judæorum ad Christum conversorum statu

ante

ante conversionem disserens, *Et eramus*, inqvit, [nos Judæi ante conversionem] *naturâ filii iræ, sicut & cæteri* (mortales & populi profani.) Qvod Pauli effatum ut rectiùs intelligatur, notandum probè est, qvòd *filii* vocabulum, qvando in Scriptura Sacra vocem præmii aut pœnæ significativam sibi conjunctam habet, per τὸ *dignum esse* explicandum sit, atqve hinc e. gr. 1. *Sam.* XX, 31. filius mortis idem sit ac dignus morte, & 2. *Petr.* II, 12. maledictionis filii idem sint qvod maledictione digni. Observandum porrò est, qvòd, qvi digni sunt irâ divinâ, poenis qvoqve ex ira Dei infligendis digni existant; effectus enim divinæ iræ est peccatoris pœna. Annotandum tertiò est, qvòd dignitas pœnæ nihil aliud sit, qvàm reatus pœnæ. Sciendum qvartò est, qvòd ad pœnas, qvæ ex divina ira infliguntur, æterna mors seu damnatio potissimum spectet. Unde B. *Qvistorpius* Comm. in Ep. ad Eph. c. I, 5. p. m. 19. benè scribit, *filios iræ esse, qvibus nihil aliud debetur, qvàm odium divinum, & à facie Dei æterna rejectio.* Tenendum qvintò est, qvod D. *Georg. Calixtus* in exposit. ad h. l. scitè & accuratè monet, nos scilicet ab Apostolo eos, qvi *naturâ* filii iræ sunt, appellari, *non qvòd ratio sive causa, ob qvam iræ sumus obnoxii, vel principium sit naturam* (h. e. essentiam) *constituens, vel affectio ex principiis naturam constituentibus orta: ita enim in Deum auctorem naturæ redundaret; sed qvòd tales*

nascamur, sive ab ipso conceptu & origine nostra tales simus propter peccatum, in qvo & cum qvo, à parentibus ad nos derivato, concipimur & nascimur. Nunc igitur ad evincendum assertum nostrum ita argumentamur: *Qvicunque à prima nativitate sunt æternæ damnationis rei, illi tales sunt per & propter peccatum inde à prima nativitate sibi inhærens. Atqvi omnes homines à prima nativitate sunt æternæ damnationis rei. Ergo omnes homines sunt tales* [h. e. æternæ damnationis rei] *per & propter peccatum inde à prima nativitate sibi inhærens.* Major propositio per se & naturaliter evidens est. Reatus enim, seu dignitas pœnæ præsupponit peccatum, nec qvisqvam reus est nisi ob peccatum. Minoris veritas claret ex *Eph.* II, 5. ubi dicitur: *Eramus natura* (h. e. jam inde à prima nativitate, ab ipso conceptu & origine nostra] *filii iræ* (h. e. digni irâ divinâ, & pœnis ex Æterni Numinis irâ infligendis, & sic etiam æternæ damnationis rei,) *sicut & cæteri.*

§. 16. Ex *Arminianis* argumenti hujus minorem propositionem negant *Simon Episcopius* l. c. & *Philippus* à *Limborch* Theol. Christ. Libr. III. c. IV. num. XVII. Uti enim hominem in & cum peccato propriè dicto nasci inficiantur; ita & eum inde statim à nativitate & à conceptu suo æternæ damnationis reum haudqvaqvam esse contendunt, reatum qvippe in reo peccatum propriè dictum necessario prærequirere arbitrantes. Hinc ad minoris

noris noſtræ probationem ex *Eph.* II, 5. petitam excipiunt, vocem *naturâ* ibi non ſignificare *à nativitate*, ſed *verè* ſeu *revera*, perinde ut *Gal.* IV, 8. cùm dicit Apoſtolus: *Serviebatis iis, qvi naturâ non ſunt Dii*, ſenſus eſt: *Serviebatis iis, qvi revera non ſunt Dii.* Sed Reſp. Vocem *naturâ* minimè idem, qvòd verè ſeu revera, *Eph.* II, 5. ſignificare, haud unô pateſcit argumentô. Qvippe [α] omnium Novi Teſtamenti dictorum, in qvibus vox φύσις uſurpatur, inductione manifeſtum eſt, vocabulum illud nusqvam in Scriptura Sacra Novi Teſtamenti rei veritatem, ſed vel eſſentiam, vel impetum & inclinationem aut proprietatem naturalem, vel etiam naturalem ortum & generationem denotare. Vid. omninò B. *Calovius* Operum Anti-Socin. Ulmæ ann. 1688. editorum Part. I. pag. 182. (β) Eam explicationem, qvâ vox φύσει per τὸ *verè* ſeu *revera* exponitur, nec Scriptura Sacra patitur, nec profani Autores claſſici ferunt. Si enim in vocem *naturâ* illa qvoque ſignificatio, qvâ rei veritatem denotat, caderet, ea etiam, qvæ ſunt ab arte, nec non ea, qvæ uſu & conſvetudine acqviruntur, naturâ eſſe dici poſſent: Nam ea qvoque, qvæ ſunt ab arte, aut uſu ac conſvetudine comparantur, ſunt verè. Aſt uſus loqvendi apud profanos autores claſſicos receptus non ſinit, ut ea, qvæ ab arte ſunt, aut uſu ac conſvetudine acqviruntur, naturâ eſſe dicantur. Græci ſanè Philo-

sophi opponunt ea, qvæ insunt φύσει, & acquiruntur ἔθει. Confer. *Amyraldus* in Disc. Theol. sex, Disc. de Pecc. Orig. num. XLVII. p. 581. & seqq. ubi adversus *Curcellæum* disputat. Ac, si ista significatio vocabulo φύσει competit, nihil prohibet, qvò minus fideles naturâ salvari, & naturâ æternæ salutis hæredes esse asseramus: Reverà enim illi salvantur, ac verè sunt æternæ beatitudinis hæredes. Ast locutiones ejusmodi sunt contra Scripturam, quæ homines non φύσει, sed χάριτι salvari, æternæque salutis hæredes evadere pronunciat. (γ) Vox *naturâ Eph.* II. vers. 5. & 8. *gratiæ* opponitur: at illa oppositio corrueret, si vocabulum *naturâ* verteretur *omninò, verè:* qui enim gratiâ Dei salvantur, illi quoque verè ac realiter salvantur. Quod ad locum *Gal.* IV, 8. ab *Arminianis* & *Socinianis* hîc allegatum attinet, ibi vox φύσει non saltem idem significat, quod verè seu reverà, sed idem est quod per essentiam, ut per τὰς μὴ φύσει οὔσας θεὰς, h. e. *per eos, qui naturâ non sunt Dii*, significentur, qui per essentiam non sunt Dii, sive qui essentiam Dei non habent. Ibi enim in eo occupatur Apostolus, ut gentiles convincat idololatriæ, & à cultu idolorum revocet. Jam verò nec Prophetis, nec (ut è concione apud Lystrenses *Act.* XIV. & apud Athenienses *Act.* XVII. habitâ, itemque è *Rom.* I, 23. seqq. constat) Apostolo nostro insvetum est, convincere

cere ethnicos idololatriæ & ab idolorum cultu revocare eâ ratione, quòd illi, quibus religioſô cultu uni Deo debitô ſervierint, maximè diſtent ab eſſentia divina, quòd materiales ſint, vitæ expertes, opera humana &c. Igitur laudatus jam Apoſtolus *Gal.* IV, 8. tale quaſi argumentum format: Qui cultu religioſô ſoli Deo debitô ſerviunt iis, qui *naturâ* & *eſſentiâ* non ſunt Dii, illi ſunt idololatræ. Atqui Galatæ ita ſervierunt iis, qui *naturâ* & *eſſentiâ* non ſunt Dii. Ergô &c.

§. 17. Cæterùm *Epiſcopius* & *Limborchius* variis evincere argumentis allaborant, vocem φύσει (naturâ) *Eph.* II, 3. non ſignificare *à nativitate*, ſed *verè* ſeu *reverà*. Urgent, [1] *in hoc Apoſtoli loco non legi*, ἐσμὲν (ſumus,) ſed ἤμεν (eramus,) *atque ſic ſignificari aliquid, quod illô tempore, quô Apoſtolus hæc ſcripſit, non amplius fuit in Epheſiis, ſed eſſe deſiit; ſi autem indigitetur aliquis ſtatus, qui eô temporis articulô, quô ita ſcripſit Apoſtolus, haud amplius in Epheſiis fuit, vocem* φύσει *non poſſe idem denotare, quod à nativitate, ſed ſignificare idem, quod reverà.* Reſp. Concedimus ultrò, in allegato Pauli dicto indicari aliquid, quod eô temporis ſpatiô, quô Apoſtolus hæc ad Epheſios exaravit, non amplius fuit in Epheſiis, vel potiùs in Judæis (de his enim hîc verba facit Apoſtolus) nimirum æternæ mortis reatum, qui inde à nativitate ante converſionem nos tenuit, nunc autem poſt converſionem per fidem Meritum Chriſti apprehendentem à nobis converſis & regenitis eſt ſublatus.

Quan-

Quando autem instant citati jam antagonistæ, in illis Pauli verbis: *Naturâ eramus filii iræ*, vocem *naturâ* idem, *quod* inde *à nativitate*, non posse significare, cùm sermo sit de statu, qui eô temporis articulô, quô hæc scripsit Apostolus, non amplius fuit; nulla sanè consequentia apparet. Nec enim statum illum, qui inde à nativitate homini competit, seu in quo nascimur, semper & per totam vitam manere necessum est; prout homines, licet inde à nativitate usu rationis careant, & rectè dicamus: Eramus naturâ usu rationis destituti; non tamen per totam vitam rationis usu privantur. Regerit hèic *Limborchius*, corruptionis originariæ patronos (h. e. originalis peccati assertores) loqui in tempore præsenti, ac, quòd naturâ filii iræ *simus*, dicere, atque sic, quòd iræ status, in quo *nascimur*, non prætereat, significare. Sed Resp. Theologi illi orthodoxi, qui in præsenti tempore ajunt, nos esse naturâ filios iræ, non docent, quòd tunc quoque, cùm in statu gratiæ constituti sumus, naturâ (h. est inde à nativitate) simus filii iræ, sed id tantùm subinnuunt, quòd eô tempore, quô nondum in statum gratiæ translati sumus, merum illum statum, in quo nati sumus, retineamus, naturaque filii iræ existamus.

§. 18. Speciatim *Episcopius*, ut perversam illam vocis φύσει acceptionem tueatur, urget (2) naturalem hominis conditionem non posse esse rationem, propter quam quis filius iræ dicatur, cùm naturalis conditio non sit libera, quod autem liberum non est, culpæ aut peccati rationem non habeat.

beat. Resp. Nihil obstat, quò minus naturalis hominis conditio sit ratio, propter quam quis *filius iræ* (h. e. iræ divinæ, pœnisque, quas Deus iratus secundùm æternæ justitiæ rigorem infligit, devotus & obnoxius) appellitetur. Ea enim naturalis hominis conditio, quæ legi Dei æternæ disconveniens est, & sic peccati naturam habet, ratio utique est, propter quam quis iræ filius nuncupetur. Quod autem dicit *Episcopius*, quod liberum non est, non habere rationem peccati, id apertè falsum est. Demonstravimus enim in superioribus, ad esse seu naturam peccati propriè dicti minimè requiri, ut ei, qui hîc & nunc, proximèque peccator inde denominatur, propriè sit voluntarium seu liberum.

§. 19. *Limborchius*, ut vocem φύσει *Eph.* II, 3. pro *verè* accipi probet, urget (3) Apostolum docere, quòd Ephesii ambulaverint secundùm seculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & per ejusmodi ambulationem fuerint naturâ filii iræ. Hinc scilicet infert *Limborchius*, vocem φύσει (*naturâ*) ibi non significare idem, quod *à nativitate*: Nec enim (ut ait ipse) status iræ, cui à nativitate homo obnoxius est, hujus ambulationis, utpote in peccatis actualibus consistentis, potest esse effectum. Sed Resp. Negamus omninò, indicare l. c. Apostolum, quòd Ephesii per ambulationem, quâ secundùm seculum mundi hujus, secundùm principem potestatis aëris ambularunt, voluntatem carnis & cogitationum faciem-

cientes, fuerint naturâ filii iræ. Nam (a) in verbis, quæ illud Apostoli dictum: *Et eramus naturâ filii iræ*, proximè antecedunt, non est sermo de Ephesiis, qui perversâ illâ ratione ambularunt, sed de Judæis, qui conversati aliquando sunt in concupiscentiis carnis suæ, facientes, quæ carni ac menti libebant. [b] Quando Apostolus de Judæis scribit: *Inter quos* (filios infidelitatis) *& nos omnes* (Judæi) *conversabamur aliquando in concupiscentiis carnis nostræ, facientes, quæ carni ac menti libebant*; ac statim subjungit: *Et eramus* (Judæi) *naturâ filii iræ*, tunc neutiquam docet, per conversationem illam, quâ Judaicus populus in desideriis carnis conversatus est, Judæos naturâ filios iræ fuisse, sed significat potiùs, mortales illos propter eam ad malum propensionem non appetitui tantùm sensitivo, sed & rationali animæ facultati inhærentem naturâ (h. e. à nativitate, ab utero) fuisse filios iræ.

§. 20. *Limborchius* obtendit (4) verba hæc: *Et eramus naturâ filii iræ*, optimè convenire cum toto contextu, si vox φύσει per τὸ *verè* seu *reverà* explicetur. Sic enim, inquit, totam Apostoli sententiam vers. 3. 4. & 5. huc redire: *Ambulavimus in desideriis carnis nostræ, & eramus verè filii iræ, id est, verè sub ira ac maledictione Dei eramus, quemadmodum & reliqui homines: sed Deus per gratiam suam nos ex statu iræ liberavit, & in statu salutis collocavit, adeò, ut nunc iidem illi non simus, qui eramus.* Resp. Imò verò verba illa: *Et eramus naturâ filii iræ*, optimè cum toto contextu conveniunt, si vox φύσει idem signifi-

mificet quod *à nativitate*. Tunc enim Apostolus vers. 3. 4. & 5. hoc insinuat: *Conversati sumus olim in desideriis carnis nostræ, facientes* ea mala, *ad quæ sensu & ratione proclives eramus, ac propter hanc ad prava propensionem nobis congenitam inde à nativitate eramus iræ pœnæque divinæ obnoxii. Sed Deus, perennis ille fons misericordiæ, ex mera misericordia, quâ totum humanum genus complectitur, nostri miseritus nos ex morte peccati in vitam spiritualem resuscitavit, & in salutis statum evexit.*

§. 21. Cùm igitur nostra, quam ex instituto hucusque commonstravimus, thesis tàm claris Sacrarum Literarum testimoniis nitatur, constanti ac perpetuâ totius Ecclesiæ fide recepta fuit. Dum enim gravem ac venerabilem exorcismi ritum ex diuturnâ, indeque à longis temporibus seculisque initium trahente consvetudine infantibus baptizandis adhibet, hôc ipsô agnoscit ac profitetur, eos ob ingenitam naturæ corruptionem & connatum peccatum obnoxios damnationi, & sub potestate Satanæ esse. Quam Ecclesiæ fidem dudum frequentatô exorcismi ritu fuisse declaratam, *Augustinus* Libr. I. de nuptiis & concupiscentia cap. XX. monet, cùm *In veritate*, inquit, *non in falsitate potestas Diabolica exorcizatur in parvulis, eique renunciant, qui per sua non possunt, per corda & ora gestantium, ut eruti à potestate tenebrarum in regnum sui Domini transferantur. Quid ergò in eis est, per quod in Diaboli potestate teneantur, donec eruantur inde per sacramentum baptismatis Christi, quid est nisi peccatum? Nullum autem peccatum parvuli in sua*

vita

vita commiserunt proprium. Remanet igitur originale peccatum, per quod sub Diaboli potestate captivi sunt.

§. 23. Ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus speciatim illi laude omni majores Duumviri, *Ambrosius* Mediolani in Italia, & *Augustinus* Hippone in Africa Episcopi, peccati originalis existentiam diserte asseruére. Ille in Libr. de Apologia David. ita fatur: *Antequam nascimur, maculamur contagiô, & ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam, in iniquitate concipimur.* Et rursus: *Meritò David deploravit in se ipsô inquinamenta naturæ, quod prius inciperet in homine macula quàm vita.* Hic verò Epist. CLVII. sic scribit: *Neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum, neminemque inde liberari, nisi renascendo per Christum, tàm inconcussè tenere debemus, ut sciamus, eum, qui hoc negaverit, nullô modô ad Christi fidem, & ad eam, quæ per Christum datur pusillis & magnis, Dei gratiam pertinere. Illa fides sit salva, quâ credimus, nullum hominem sive majoris sive parvulæ quamlibet & recentis ætatis liberari à contagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod primâ nativitate contraxit, nisi per unum mediatorem Dei & hominum, hominem JEsum Christum.*

§. 24. Constantem hanc & fundatissimam Catholicæ Ecclesiæ, & Doctorum ejus sententiam quintô demum à nato Salvatore seculô, & quidem circa quintum seculi istius annum, nefandô ausu impugnavit *Pelagius*, quem *Balæus* Cent. I. Scriptor. Britann. Anglo-Britannum, & *Vossius* Libr. I. Histor.

Hiſtor. Pelag. Scotum natione appellitat, de cujus origine, officio, & peregrinatione *Hottingerus* Hiſt. Eccl. ſecul. V. p. 291. è *Jacobi Uſſerii* Antiqvit. Eccleſ. Britann. varia memoratu digna prodidit. Ejo qvippe ſententiã (qvod ad doctrinam de Originalis Peccati exiſtentia attinet) *Auguſtinus* in Libr. de *Hæreſibus* ad *Quod vult Deum* ita enunciat: *Parvulos negant* (Pelagiani) *ſecundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ primâ nativitate contrahere. Sic enim eos ſine ullo Peccati Originis vinculo aſſerunt naſci, ut prorſus non ſit, quod oporteat eis ſecundâ nativitate dimitti, ſed eos propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati, non iſtâ renovatione ab aliquo malo obligationis veteris abſoluti. Nam etiamſi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, ſed tamen æternam & beatam quandam vitam ſuam.* Quem enormem *Pelagii* lapſum eâdem illâ tempeſtate *Chryſoſtomus*, Arabiſſi Armeniæ oppido tunc exulans & morti proximus, *Epiſt.* IV. ad *Olymp.* ita deploravit: *De Pelagio Monacho magnô affectus ſum dolore. Cogita igitur, quot quantisque coronis digni ſint, qui forti animô in acie ſteterunt, cùm viros piè ac anctè, tantaque cum tolerantia viventes abripi atque in fraudem impelli videamus.* Ex quibus *Chryſoſtomi* verbis id inſuper luculentè apparet, quòd pius zeloque ardenti accenſus initiò fuerit Pelagius. Præcipui ipſius aſſeclæ fuére *Julianus*, Epiſcopus Campanus, tàm præcellentis ingenii, doctri-

næ & facundiæ vir, ut (*Bedâ* præfat. in Cant. observante) Romanus Demosthenes vulgò haberetur; & *Cœlestius* (à Gennadio Massiliensi *Cœlestinus* perperàm vocatus,) *Pelagii* etsi *discipulus*, tamen (ut *Hieronymus* in epist. ad Ctesiphontem de eo loquitur) *magister & dux exercitus*, ut idcircò Pelagiani (testante l. c. *Augustinô*) dicti quoque sint Cœlestiani. Sed pessimis hisce hæreticis animosè ivére obviam cùm integra coacta concilia, tùm singuli Doctores Ecclesiæ, & Romani Imperatores. Inter concilia illa familiam ducunt *Milevitanum* ætate S. Augustini, Arcadio & Honorio imperantibus, congregatum, & *Arausicanum secundum*, in Gallia tempore Theodosii Junioris, Imperatoris Romani, & Leonis M. Episcopi Romani habitum. Quarum synodorum, utut particulares fuerint, capitula cum œcumenicis symbolis pari passu ambulare, B. *Hildebrandus* in Disp. de Ritibus sacr. Helmstadii ann. 1655. habitâ, Th. XVI. eruditè monet: Ea enim sequentibus temporibus unanimi Ecclesiæ suffragiô approbata atque recepta fuére. Quanquam dissimulandum hîc non sit, octo illos canones, qui vulgò Milevitanæ synodo adscribuntur, à nonnullis concilio cuidam Carthaginensi potiùs attribui. Atque illam ipsam universæ Ecclesiæ sententiam contra Pelagium ejusque sequaces scriptis publicis olim propugnarunt cumprimis *Hieronymus* & *Augustinus*. Cùm enim Pelagius Romæ,

mæ, & Cœlestius in Sicilia hæresin suam disseminaret, Hieronymus, super eâ re à Ctesiphonte consultus, literis, quæ supersunt adhuc, eidem respondit. Hic ipse Ecclesiæ Doctor contra Pelagium, quem synodus Diospolitana absolverat, annô seculi quinti decimô sextô tres libros conscripsit. Inter opera, queis *Augustinus* Pelagianos errores confutavit, tractatus de *natura & gratia*, Lib. de *Gratia Christi*, Libri de *nuptiis & concupiscentia*, Lib. de *gestis Palæst.* eminent. Eadem hæresis diversis Imperatorum, Honorii, Theodosii, & Constantii decretis (de quibus vid. *Possidonius* in vita Augustini c. XVIII. & *Baronius* in Annal. ad ann. 421.) tàm graviter tantoque successu damnata fuit, ut posteà Pelagianorum quidam, inter quos Julianus, episcopatu dejicerentur, quidam ab erroris præcipitio in veritatis viam redirent. Confer. *Forbesius* Instruct. Hist. Theol. Libr. VIII. cap. 1. 2.

§. 25. *Sociniani*, qui pestilentissimam *Pelagianorum* hæresin quoad complures doctrinas de novo paxillo suspenderunt, modis variis thesin nostram impugnant, dum (1) *omnibus* hominibus carnaliter natis moralem naturæ humanæ corruptionem & ad peccandum proclivitatem connatam esse inficiantur, (2) pronitatem ad peccandum, quam cum plerisque hominibus nasci agnoscunt, non ex primi hominis lapsu, sed ex eo, quòd humanum genus frequentibus peccatorum actibus habitum

peccandi contraxit, & seipsum corrupit, hæcque corruptio per propagationem in posteros transfunditur, originem trahere contendunt, (3) connatam corruptionem, seu congenitam ad peccandum proclivitatem propriè loquendô peccatum esse negant, atque hinc (4) peccatum originis, quatenus moralem omnibus hominibus connatam, & ex lapsu protoplastorum ortam, peccatique propriè dicti rationem habentem, corruptionem importat, pro vano hominum commento ac somnio habent. Ipse quippè *Socinus* (quod ad primum errorem attinet) in Prælect. Theol. c. IV. fol. m. 540. *Istam*, inquit, *concupiscentiam sive ad peccandum proclivitatem, in OMNIBUS prorsus hominibus naturaliter esse, non constat.* Et pag. 541. *Est quidem*, ait, *in hominibus, nullô prorsus excepto, ad peccandum (ut sic loquar) possibilitas, quia nimirum Deus voluntatem liberam & ad bonum & ad malum dedit. Sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, licet in plerisque sit, non tamen affirmare possumus, eam IN OMNIBUS prorsus esse.* Sic & *Ostorodus* Instit. Germ. c. XXXIV. fol. 281. docet, *in omnibus FERME hominibus magnam cupiditatem & propensionem esse ad peccatum.* Et, quod alterum *Socinianorum* errorem concernit, ipse itidem *Socinus* in Libro de *JEsu Christo Servatore* Part. IV. c. VI. fol. 483. edit. Lubberti ait: *Corruptio hæc nostra & ad peccandum proclivitas non ex uno illo delicto in nos propagata est, sed continuatis actibus habitus modò hujus, modò illius*

vitii

vitii est comparatus; quò naturam nostram corrumpente, ea corruptio deinde per generis propagationem in nos est derivata. Consimilia tradit in *Prælect. Theol.* c. IV. fol. m. 541. & in *Libello suasorio, quòd Evangelici &c.* c. V. fol. 57. Gemina his leguntur apud *Ostorodum* l. c. Quod ad tertium Socinianorum errorem spectat, *Socinus* Prælect. c. IV. fol. 11. expressè scribit, *cupiditatem istam* (connatam) *& ad peccandum pronitatem, cùm conjunctam secum hominis ipsius, in quo est, culpam non habeat, ejus propriè peccatum dici non posse*: Et ad objectiones Cutteni *Miscellaneorum* fol. 85. respondet, *infantes nasci SINE PECCATO, quatenus ipsi sine dubio nondum quidquam peccarunt; nec tamen esse, qualis Adamus fuit, cum à Deo est creatus, quatenus ipsi æternæ* (necessariæ ac perpetuæ) *morti sunt obnoxii, id quod Adamus non erat, antequam peccaret; non quidem quia illis Adami peccatum imputetur, sed quia ex Adamo, propter suum peccatum jam morti æternæ obnoxio facto, sunt propagati: Infantes, cùm nascuntur, NULLIUS quidem PECCATI esse reos, non tamen propterea filios Dei similes esse.* Quod tandem ad quartum *Socinianorum* errorem attinet, concedunt equidem illi, in plerisque, ac omnibus fermè hominibus esse aliquam naturæ corruptionem, magnam ad peccandum proclivitatem, malamque cupiditatem, eamque cum hominibus nasci, & per propagationem in posteros transfundi (de quo vid. *Socinus* in Libr. *quòd Regni* &c. c. V. fol. 57. & in *Prælect.* c. IV. fol. 13.

Ostorodus Instit. Germ. c. XXXIV. fol. 281.) quin imò *Socinus* ipse in Libro de *officio hominis Christiani* pag. 59. agnoscere se ait Peccatum Originale, si per illud necessariæ mortis reatus (hoc est, ut *Ostorodus* l. c. explicat, die Nothwendigkeit zu sterben) intelligatur; ast Peccatum Originale, quatenus moralem omnibus hominibus connatam, & ex lapsu protoplastorum ortam, peccatique propriè dicti rationem habentem, corruptionem formaliter importare dicitur, *Socinus* ibid. *vanum hominum commentum & somnium, humanique generis figmentum* esse censet, *Dialogus* de *justificat.* in quem *Socinus* notas composuit, *fabulam* vocat *Judaicam, quæ ab Anti-Christo vero in Christi Ecclesiam introducta sit ad stabiliendum pernicioſa dogmata, nempe Dei incarnationem, infantum baptismum &c. Smalcius* contr. Franz. Disp. II. fol. 46. *meram fabulam, quam tanquam fœtum alienum fovent Lutherani & alii*, appellitat.

§. 26. *Socinianis* proximè accedunt *Arminiani*, qui itidem, licet homines minùs puros, quàm Adamus conditus est, & cum quadam inclinatione ad peccandum hodiè nasci fateantur, atque in *Apologia* pro Confessione sua contra censuram quatuor Professorum Leidensium cap. VII. sect. IV. peccatum originis, quatenus denotat malum, infirmitatem, vitium, quod ab Adamo, justitiâ Originali privato, in posteros ejus propagatur, admittant, negant tamen [a] illam ad pec-

can-

candum proclivitatem cum omnibus ac singulis hominibus nasci, [β] ipsam non ab Adamo ejusque lapsu, sed aliunde, oriri contendunt, [γ] eandem peccatum verè ac propriè dictum esse, inficiantur. Hæc omnia sectæ isti addictus *Limborchius* Theol. Christ. Libr. III. cap. IV. num I. tradit haud obscurè, quando sic scribit: *Fatemur, hodiè homines minùs puros nasci, quàm Adamus conditus est, & cum quadam inclinatione ad peccandum. Verùm inclinatio illa propriè dictum peccatum non est, aut peccati habitus ab Adamo in ipsos propagatus: sed naturalis tantùm inclinatio habendi id, quod carni gratum est: quæ propriè oritur à temperamento corporis, quod à proximis parentibus propagari scimus: pro diversa enim temperamenti ratione animus hominis diversimode à variis objectis afficitur, quodque uni gratum, alteri ingratum est: inde diversæ adeò in hominibus cupiditates, dum unusquisque appetit, quod pro temperamenti sui ratione ipsi gratum est, ac aversatur ingratum. Quia verò carni nostræ grata plerumque voluntati divinæ adversantur, quoniam Deus in hisce abnegantis promptam animi nostri obedientiam explorare vult, inde est, quod illa inclinatio in objecta carni nostræ grata sit etiam inclinatio in peccatum.* Eosdem hos errores ibid. num. III. ita profitetur: *Sed quæritur, an præterea in homine sit corruptio quædam originaria, seu habitus peccati ab Adamo in omnes ipsius posteros propagatus, quæ verè ac propriè sit peccatum, per quam intellectus & voluntas omnesque affectus adeò sunt depravati, ut solummodo in malum*

inclinent, imò omnes homines naturâ propensi sint ad odium Dei & proximi. Hanc communiter urgent Doctores Contra-remonstrantes. Sed verò ejusmodi corruptio nec cum S. Scriptura, nec cum recta ratione conciliari potest. Huc quoque (quod ad secundum & tertium sententiæ *Arminianæ* membrum attinet) pertinet omninò, quod *Episcopius*, magnæ inter *Arminianos* auctoritatis vir, Libr. IV. Instit. Theol. Sect. V. cap. II. dicit: *Etiamsi per impossibile primum Adami peccatum originaliter nostrum esset, neutiquam tamen rationem permittere, ut credatur, Scripturam asserere, originariam nostram corruptionem inde natam fuisse, & eam esse peccatum nostrum originale.* Disertiùs tertium sui erroris caput explicant *Arminiani*, dum in suâ ab *Episcopio* compositâ Apologiâ, & quidem locô antè citatô, non negant solùm, per *privationem veræ justitiæ relictum esse in unoquoque filio Adami ante proprium suum actum aliquod veri nominis peccatum, & aliquid eis esse odio Dei propriè sic dicto dignum*, sed contendunt quoque, *se peccatum originis non habere pro peccato propriè dicto, quod posteros Adami odio Dei dignos faciat.*

§. 27. Cùm igitur *Arminiani*, moralem naturæ humanæ corruptionem cum omnibus ac singulis hominibus nasci, negent, proclivitatem ad peccandum, quam plerisque hominibus congenitam esse concedunt, non ex Adami lapsu, sed aliunde oriri doceant, eamque peccatum verè ac propriè dictum esse inficientur, manifestè peccati originalis (ut scilicet

licet dicit moralem omnibus hominibus congenitam, & ex lapsu protoplastorum dimanantem, peccatique propriè dicti rationem habentem) existentiam pertinaciter negant. Hinc *Episcopius* Instit. Theol. Libr. V. Sect. V. c. II. *Scriptura*, ait, *peccati alicujus originalis nusquam meminit, nedum ut peccatum illud miseriæ hujus causam, quid dicam causam primam & potissimam, imò unicam esse asserat. Nec ut asseruisse id credatur Scriptura, ratio finit.*

§. 28. Adversantur & thesi nostræ *Anabaptistæ*, qui (ut *Philippus Melanchthon* in Loc. Theol. pag. m. 383. de iis loquitur) *multos prodigiosos errores miscent*, & quorum *delirium totum confusum est ex multarum veterum sectarum furoribus, ex Manichæis, ex Enthusiastis, ex Judæorum recentium fabulis.* Illi quippe *omnes* (ut l. c. pag. 384. *Melanchthon* ait) *de peccato Originis, de justitia fidei, & de ministerio externo errant, tolluntque manifesta amentia peccatum Originis, nec judicant peccatum quicquam aliud esse, nisi facta seu actiones externas, pugnantes cum Lege Dei.* Hinc in Colloquii Franckenthalensis, annô 1571. in Palatinatu habiti, art. IV. act. 2. peccatum Originis (quatenus scilicet peccatum infantibus hodiè innatum dicit) *Augustini figmentum, Mathematicorum Eccentricis & Epicyclis simile*, esse contendunt. Videlicet (quod etiam B. *Meisnerus* Anthropol. Dec. I. Disp. V. Qv. II. §. IX. haud obscurè de ipsis perhibet) *hominem, si spectetur sine Christo, cum peccato nasci, sed, quia mors Christi*

sti intervenerit, per & propter Meritum Christi neminem amplius cum peccato nasci, sentiunt. Atque ex hoc fundamento articulum de baptismo infantium labefactant, cùm pueruli, si nullâ peccati labe infecti in lucem prodeunt, ablutione à peccatis per baptismum haud indigeant.

§. 29. Thesi nostræ, quatenus *omnes Adami posteros, naturali & carnali modò progenitos, cum profundissima intimeque inhærente naturæ humanæ corruptione, quæ sit peccatum verè ac propriè dictum, nasci* asserit, ex Papatu reluctantur *Albertus Pighius* & *Ambrosius Catharinus*, qui (ut ipsorum mentem B. *Chemnitius* in Exam. Concil. Trid. part. I. proponit) nihil esse in parvulis inhærens, quod veram peccati rationem habeat, atque hinc peccatum originis nil aliud, quàm actualem Adæ transgressionem, quatenus in parvulis non est reipsa [uti in primo illo homine erat,] sed imputatione, reatu & pœnâ, esse contendunt. Illi autem Doctores Pontificii lapsum Adami per hoc imputatione, reatu & pœnâ in posteris esse docent, quòd propter transgressionem illam, sine pravitate & vitio aliquo nobis inhærente & innatô, æquè ac Adamus extorres facti simus regni cœlorum, subjecti regno mortis, & æternæ damnationi obnoxii, omnibusque humanæ naturæ miseriis involuti, sicut scorti soboles sine proprio aliquo in se hærente vitio genitricis infamiam sustinet. Nec multum à *Catha-*

ri-

tharini & *Pighii* sententia abeunt *Arriaga* in Thom. I. II. Tom. I. Disput. LI. sect. 3. subsect. 1. & *Georgius* de *Rhodes* Disp. IV. de Peccato Quæst. I. sect. 2. qui statuunt, peccatum originale formaliter esse maculam, similem illi, quæ in Adamo, cùm lapsus esset, permansit. Nec enim per peccati maculam intelligunt intrinsecam, & physicè permanentem naturæ humanæ corruptionem, ex præterito Adami lapsu in nobis relictam, atque in caligine mentis ac positiva totius nostræ naturæ ad malum inclinatione consistentem, sed culpam ac reatum ex transgressione Adæ ad nos redundantem, vi cujus verè coram Deo peccatores, filiique iræ constituamur.

§. 30. Thesi nostræ ex Papistis obluctantur quoque *Durandus* & *Wilhelmus Parisiensis*, qui (uti *Tapperus* ipse Tom. I. Oper. fol. 37. seqq. memorat) *nihil, quod verè ac propriè rationem peccati habeat, in parvulis recens natis inveniri* docuére. Nec minus nostræ thesi opponunt se ex Pontificiis *Occam* & multi alii, qui mala illa, in quibus moralis hominibus omnibus carnaliter natis congenita corruptio sita est, ut caliginem in mente, contumaciam in voluntate ac corde (quam vocant concupiscentiam,) non peccatum verè ac propriè dictum, sed tantummodò pœnam primi lapsus, vel peccati fomitem esse dicunt. Contra quos à se graviter taxatos *in Loc. Theol.* p. m. 113. 117. rectè pronunciat *Melanchthon*, mala illa simul

&

& pœnam esse primi lapsus, & in singulis nascentibus peccatum ipsum, id est, quiddam reum & damnatum à Deo.

§. 31. Nec verò à gravi illo in thesi nostra rejecto errore, quòd non detur peccatum Originis (h. e. intima & profundissima naturæ humanæ corruptio, propter Adami lapsum per carnalem generationem ad nos transfusa, peccati propriè dicti rationem habens, nosque mortis temporalis ac æternæ damnationis reos constituens) *Jacobum Fabrum* (à patria dictum Stapulensem,) Doctorem Sorbonicum, absolvi posse, B. *Calovius* in System. Loc. Theol. Tom. V. Art. III. Qv. I. p. m. 171. exquisitè judicat. Licet enim eum, postquam à Theologis Parisiensibus exagitatus, desertâ Galliâ, aliò migraverat, Franciscus Galliæ Rex, tunc in Hispania captivus, literis ad Senatum Parisiensem Madricii, Hispaniæ oppido, exaratis (quarum summam *Jovius* in *elogiis doct. viror.* cap. III. & ex eo *Sleidanus* in Comment. de stat. Relig. & Reip. Libr. V. p. m. 141. seq. exhibet) ex ea causa, quòd ipsius magna sit apud Italos & Hispanos opinio virtutis atque doctrinæ, ipseque aliquando etiam graviter, sed immeritò & calumniosè ad se ante suam ex Galliis profectionem ab ejusdem ordinis nonnullis delatus sit, magnoperè defensitaverit, ipsum tamen *Parisienses* suis censuris, & *Natalis Sedda* calamo ex merito infectati sunt. Nam ex Commentar. ejus in cap. V. Epist. ad Rom. lucu-

luculenter apparet, ſtatuiſſe ipſum omninò, quòd *peccatum ab Adamo in poſteros dimanans* nil aliud *ſit*, quàm *obligatio moriendi*, *quâ*, *qui in Chriſto regenerantur*, *ſolvuntur*, *ut jam non moriantur ex obligatione ab Adamo derivata*, *ſed ex imitatione Chriſti*.

§. 32. Cæterùm *Tappero* ipſi eam ſententiam, quod *in parvulo nihil inveniatur*, *quod propriè peccati rationem habeat*, haud adſcribimus; quam tamen opinionem B. *Bechmannus* in Theol. Polem. Part. II. Controv. I. Sect. I. §. XI. ei attribuit. Poſtquam enim Tom. I. Oper. fol. 37. ſeqq. commemoravit *Durandum* & *Wilhelmum Pariſienſem*, ſtatuentes: *In parvulis recens natis nihil inveniri*, *quod verè ac propriè rationem peccati habeat*, iis tandem contradicit, & fol. 41. peccatum originale veri nominis peccatum eſſe, ex *Rom.* V. demonſtrat. Confer B. *Scherzerum* Syſtem. Theolog. Loc. VII. §. VII. p. m. 149.

§. 33. De iis autem omnibus, qui à Proteſtantium doctrina & theſi hîc abeunt, Doctoribus Pontificiis judicare omninò poſſumus, quod *Philippus Melanchthon* in Loc. Theol. p. m. 113. de *Occamo* multîsque aliis *Scholaſticis* pronunciavit, eos nimirum *peccati originalis nomen retinere*, *ſed* (cùm peccatum originale reverà ſit intima ac profundiſſima naturæ humanæ depravatio, propter Adami lapſum ad nos propagata, peccati propriè dicti rationem habens, ſingulosque naſcentes æternæ

næ damnationis reos constituens) *rem ipsam extenuare*, & sic à Pelagianis (quippe qui *universam de peccato Originis doctrinam usque adeò negarunt, ut nomen etiam tollerent*, originalis & actualis peccati distinctionem recens Augustini commentum esse vociferantes) in quæstione de peccati originalis existentia verbis, non ipsa re & sensu dissentire. Quocirca memoratu omninò dignum est, quod B. *Chemnitius* in Exam. Concil. Trident. Part. I. ex *Andradio*, secretorum Concilii Tridentini conscio, toti orbi Christiano revelat, profanam *Pighii* sententiam in Decreto Tridentino non esse vel improbatam vel damnatam, sed cum aliis profanis Scholasticorum de Peccato Originali disputationibus sub opinandi libertate relictam.

§. 34. Utrum *Calvino-Reformati* Originalis peccati existentiam negent? hodieque disquiri solet, B. *Meisnerus* in Anthropol. Dead. I. Disp. V. Quæst. II. §. XI. B. *Gerhardus* Isag. Loc. Theol. Disp. XXIV. cap. II. §. 17. B. *Himmelius* in Colleg. Anti-Calvin. Disp. V. Thes. IV. B. *Bechmannus* in Theol. Polem. Part. II. Controv. I. Sect. I. §. 8. & 10. ipseque D. *Georgius Calixtus* in Epit. Theol. p. m. 113. existimant, *Huldericum Zwinglium* originale peccatum, cùm illud, ut est in filiis Adæ, propriè morbum quendam ac defectum, miseramque conditionem, non autem peccatum esse, nec priùs homini, quàm ipse legem sibi positam intelligens

ligens eam transgreditur, damnationis pœnam adferre posse, in *Confessione* annô 1530. in comitiis Augustanis ad Carolum Imperatorem scriptâ Art. IV. nec non in *Libr.* de *Baptism.* Tom. I. Oper. pag. 89. & 90. itemque in *Commentar.* super cap. V. ad Rom. docuerit, *directè* & *expressis verbis* inficiatum esse. Sic enim, licet contagium illud ac malum, quod nos peccatum Originis appellitamus, nimirum congenitam nobis ad malum proclivitatem asseruerit, peccatum tamen originis formaliter, distinctè, & sub ratione peccati verè ac propriè dicti, nosque iræ divinæ ac mortis æternæ reos per se facientis spectatum, atque adeò peccatum originis, ut est verum peccatum congenitum & originale, negavit. *Gvilielmus* equidem *Whitakerus* post *Rudolphum Gvaltherum* Zwinglii generum, *Henricum Bullingerum*, *Martinum Bucerum* aliosque, in *Tr. de Peccat. Orig. contra Stapletonum* Libr. I. c. IX. Qv. 67. excusare *Zwinglium* ausus est, sed, quem ipsi tribuimus, errorem ab eo amoliri haud valuit. Quærit *Whitakerus* primò: ubinam *Zwinglius*, qui peccatum Originale reatum vocet, & miseriam, & morbum, & servitutem, non nasci nos peccatô coinquinatos scripserit? Enimverò id satis dilucidè significavit *Zwinglius*, dum nihil, quod peccati verè ac propriè dicti rationem habeat, nobis connasci asseveravit. Urget porrò *Whitakerus*, *Zwinglium* in epistola ad *Urbanum Regium*, à quo de hac ipsa re liberè ac amicè admonitus erat, conscriptâ peccati Originalis existentiam absque ulla verborum caligine hisce verbis tradidisse:

Hæc

Hæc noſtra eſt de Originis Peccato ſententia, vitium eſſe ac morbum, qui ceu mulcta primis parentibus inflictus eſt; quorum propago ſic vitiata eſt transgreſſione, ut, quicquid inde naſcatur, ad peccandum propendeat; ac niſi divina clementia maturè de remedio efficaci providiſſet, periiſſent quotquot ex hoc fonte nati fuerunt. Sed reſpondetur, tum *Zwinglium* id ſolùm, quod orthodoxis peccatum Originale dicitur, nempe connatam ad malum propenſionem, docuiſſe, non autem peccatum Originis ſub ratione peccati verè ac propriè dicti ſpectatum aſſeruiſſe. Magis fortè ſuccurri *Zwinglio* ex eo poſſet, quòd Marpurgi annô 1529. inter articulos, de quibus inter ipſum & Lutherum conveniebat, huic quoque, qui quartus eſt, teſtante B. Lutheri Tomô VI. Altenburgenſi fol. 563. ſubſcripſerit: *Credimus, quòd peccatum Originis ab Adamo in nos propagatum ſit, quodque ſit peccatum damnans omnes homines, & quod, ſi Chriſtus nobis opem non tuliſſet, morte ac vitâ ſuâ, in æternum propter illud mori nos oportuiſſet, neque participes regni Dei & ſalutis fieri potuiſſemus.* Verùm enimverò nec id orthodoxô ſenſu, ſed reſervatis gloſſis ac limitationibus perverſis dictum eſſe, vel inde liquidiùs conſtat, quòd ipſe annô ſtatim ſubſequente 1531. paulò ante ſuum, qui annô 1531. contigit, obitum in Confeſſione Carolo V. oblatâ, & Baſileæ, curante *Joh. Jac. Grynæô*, annô 1590. recuſâ, Art. IV. mentem ſuam ſic declaraverit: *Velimus, nolimus, cogimur admittere, peccatum originale, ut eſt in filiis Adæ, non propriè pecca-*

peccatum esse. Non enim est facinus contra legem. Morbus igitur est propriè & conditio &c.

§. 35. Nostrates sub paragraphi proximè præcedentis initium laudati Theologi pronunciant, *indirectè & obliquè* originale peccatum, quatenus etiam parentum Christianorum infantibus connatum est, negari à *Calvino* Instit. Libr. IV. c. XV. §. 20. 22. c. XVI. §. 24. & omnibus illis ejusdem asseclis, qui cum ipso statuunt, *infantes* istos *hæreditariô jure & jam à matris utero secundùm promissionis formulam* (quâ se nobis seminique nostro post nos in Deum fore promittit) *ante susceptum baptismum in fœdere Dei contineri & à Deo filiorum loco haberi* (seu sanctos esse sanctitate fœderali,) *atque adeò non baptizari, ut filii Dei tunc primùm fiant, sed ut solenni potiùs signo in Ecclesiam recipiantur.* Sanè enim manifestam arguit contradictionem, unum eundemque infantem unâ eâdemque nativitate, quæ fit ex parentibus Christianis, præstari coinquinatum eà naturæ corruptione ac perversitate, quæ est peccatum verè & propriè dictum, infantesque jam à matris utero iræ divinæ æternæque damnationis reos per se facit, ac sisti simul filium Dei, & in fœdere Dei statuque gratiæ constitutum. Unde qui parentum Christianorum infantes hæreditariô jure, & jam à matris utero in fœdere Dei contineri, atque à Deo filiorum loco haberi asserit, is reapse, & per pronam immotamque consequentiam negat, eosdem illos parvulos hæreditariò à parentibus accipere eam naturæ pravitatem & corruptionem, quæ nos iræ divinæ æternæque damna-

tionis reos constituit. Cæterùm illud, quod hîc admiscetur, *Calvini*, ejusque asseclarum commentum, quòd baptismus non sit medium ac organon efficax, quod infantium recens natorum in fœdus receptionem, & cœlestem adoptionem operatur, sed signum saltem, quô receptio in fœdus & adoptio jam facta declaratur, obsignatur & confirmatur, inferiùs in Loco de *Baptismo* ex instituto refellemus.

Th. IV.

Ut *essentiam* ac *rationem formalem* peccati originalis distinctiùs nunc explicemus, notandum omninò est, peccatum illud absolutè loquendô non esse substantiam, sed formaliter & in primo suo conceptu esse connatam quandam privationem, nempe congenitam justitiæ originalis carentiam, quæ positivum quoddam naturaque insitum ac peccati verè & propriè dicti rationem ubivis habens accidens, innatam videlicet totius naturæ humanæ ad malum inclinationem (quam *concupiscentiam* vulgò nuncupant,) individuô ac necessariô nexu secum trahit, sibique conjunctum hadet.

§. 1. Posteaquam evictum est, dari quoddam originis peccatum, naturam humanam intimè fœdissiméque corrumpens, indagandum restat, quænam sit ejus narura ac ratio formalis, seu in quo illud formaliter consistat.

§. 2.

§. 2. Tractatus hujus necessitatem B. *Chemnitius* Loc. Theol. Part. I. Loc de Pecc. Orig. c. II. p. m. 552. sic declarat: *Omninò necessaria est aliqua descriptio. Non enim hoc tantùm urgendum est, quòd sit peccatum originale, nec tantùm de vocabulis disputetur: sed tenenda est aliqua declaratio, quæ, qualis & quanta sit illa depravatio, quam nascentes afferimus, & quæ in carne habitans, facit omnes carnaliter propagatos, filios iræ, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem.* Causas autem, *cur diligenter sit tradenda, fideliter retinenda, & sæpè meditanda certa aliqua & explicata definitio peccati originalis*, eas esse pronunciat, quòd [1] *in quotidiana invocatione non tantùm actualia delicta, sed præcipuè immundiciem originalem agnoscere debeamus*; [2] *quòd, nisi extet vera & explicata definitio peccati originalis, non possit rectè intelligi, quomodo omnes etiam renatorum justitiæ sint tanquam pannus menstruatæ, & quomodo volenti facere bonum adjaceat malum, id est, omnia bona opera piorum sint immunda & imperfecta.* Ipse quoque *Augustinæ Confessionis Apologetæ* ad art. II. p. m. 56. ejus, quod exordimur nunc, negotii necessitatem hisce verbis gravissimè inculcat: *Est autem necessaria cognitio peccati Originis. Neque enim potest intelligi magnitudo gratiæ Christi, nisi morbis nostris cognitis. Tota hominis justitia mera est hypocrisis coram Deo, nisi agnoverimus, cor naturaliter vacare amore, timore, fiduciâ Dei.*

§. 3. Ante *Augustinum* verò, cùm nondum mota essent certamina Pelagiana, quæstionis illius: quænam sit ratio ac natura originalis peccati? ac-

curata aliqua enodatio non legitur; sed (ut B. *Meisnerus* in Anthropol. Dec. I. Disp. V. §. 2. refert) fideles in pia simplicitate & simplici pietate contenti erant trium horum problematum explicatione: An sit aliquod malum originale? Unde sit? Qui ejus fuerint effectus? Confer. B. *Chemnitius* l. c. pag. 554. & B. *Leonh. Hutterus* L. de Pecc. Orig. c. I. num. 2.

§. 4. Cæterùm *Augustinus*, cùm sapienter animadverteret, veram Spiritus Sancti de Peccato Originis sententiam nec perfectè posse tradi, nec in sua genuina puritate retineri, si tantùm in genere effectus seu pœnæ recenseantur, sed ut sit vera & salutaris agnitio illius peccati, necessarium esse, aliquâ descriptione ex certis & perspicuis Scripturæ testimoniis ostendere, quid & quale sit illud vitium, quod in ipsa origine infantes ante actionem propriæ voluntatis contrahunt; de aliqua qualicunque definitione, quæ monstret, quid & ubi sit peccatum originis, constituenda cogitavit. Quamvis igitur definitionem ejusmodi, quia in tota ferè antiquitate nulla deprehendebatur, tunc tradere difficile esset, tandem tamen excellentissimus ille antistes, utpote inquirens solicitè, an ex Scripturæ testimoniis aliquam hujus peccati notationem exstruere posset, definivit esse concupiscentiam. Tunc enim vis mali originalis cummaximè conspicitur, quando in adultis caro adversus spiritum concupiscit. Vid. omninò B. *Chemnitius* l. c. p. m. 555.

§. 5.

§. 5. Huncce *Augustini* conatum, etsi insigniter utilis esset, *Pelagius* tamen ex ea causa acerbè reprehendit, quòd universa antiquitas tantùm de illis quæstionibus: An sit aliquod malum originale? Unde sit? Quinam sint ejus effectus? disputaverit, non autem talem aliquam definitionem, quòd sit vitium in mente, voluntate, & corde, quod nascentes ante actionem propriæ voluntatis à parentibus trahant, constituerit, atque hinc propter alias recentes quæstiones Ecclesiarum tranquillitas nequaquam sit turbanda. Videatur ibid. *Chemnitius.*

§. 6. Post *Augustinum* de explicanda Originalis Peccati indole, ejusque definitione distertiùs tradenda Ecclesiæ Doctores parum solliciti fuerunt. Seculô demum undecimô, & quidem ferè sub ipsius finem, ubi per Monachos naturæ humanæ corruptio rursus extenuabatur, *Anshelmus*, Cantuariensis in Anglia Episcopus, excellens vir (qui, B. *Chemnitiô* judice, suas quidem stipulas habet, qualis tunc fuit forma doctrinæ illorum temporum, fascinata superstitionibus monachorum, multas tamen disciplinæ cœlestis partes rectiùs tradidit & illustravit) in Tract. de *conceptu virginali*, seu *peccato originis*, & cap. XXV. peccatum originale per *justitiæ debitæ nuditatem* (h. e. per justitiæ originalis inesse debitæ carentiam) definivit. Quam definitionem posthac circa annum 1120. adjunctâ definitione Augustinianâ *Hugo* rectè explicavit, dum peccatum originis ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne esse docuit. *Sententiarii*

posteà enixè inter se disputarunt, utrum *Anshelmiana*, an *Augustiniana* amplectenda sit definitio? *Scotus*, ejusque seqvaces, ita Anshelmum propugnarunt, ut peccatum originale positivam concupiscentiam esse planè negarent. Alii pro Augustiniana definitione ita dimicarunt, ut Anshelmianam explooderent. *Bonaventura* verò (ut etiam Augustanæ Confessionis Apologia l. c. p. m. 55. annotat, Doctorem illum ad cordatiorum Scriptorum classem referens) rectè judicavit, utramque veram esse, & in una illarum includi alteram. Is quippe, allegante laudatâ *Apologiâ*, disertè scripsit: *Cùm quæritur, quid sit originale peccatum, rectè respondetur, quòd sit concupiscentia immoderata. Rectè etiam respondetur, quòd sit debitæ justitiæ carentia. Et in una istarum responsionum includitur altera.* Nam justitiæ originalis privatio necessariò invehit pravam concupiscentiam, & hæc concupiscentia privationem illam necessariò præsupponit. Prava, inquam, concupiscentia justitiæ originalis absentiam præsupponit necessariò, quia concupiscentia illa & originalis justitia in uno eodemque subjecto consistere nequeunt. Justitiæ verò originalis privatio concupiscentiam pravam invehit, cùm (uti A. C. *Apologia* l. c. pag. 54. accuratissimè docet) *ægra natura, quia non potest Deum timere & diligere, Deo credere, quærat & amet carnalia, judiciumque Dei aut secura contemnat, aut perterrefacta odio habeat*, hoc est, (ut B. *Musæus* in Tr. de Convers. Disp. IV. c. I. §. XI. docet) facultates animæ justitiâ originali viribusque ad vitam secundùm

dùm Deum instituendam destitutæ, quia per essentiam sunt facultates vitales, nec, justitiâ originali deperditâ, quoad esse vitale & vim eliciendi actus motusque vitales sunt abolitæ, aliam & à priori diversam vitæ rationem consectentur. Atque hæc est causa, quòd laudata *Apologia* proximè & immediatè ibidem subjungit: *Ita & defectum* (justitiæ originalis carentiam) *complectitur Augustinus* (peccatum originis definiens, quòd sit concupiscentia) *& vitiosum habitum, qui successit.*

§. 7. Hanc tandem sententiam Scripturis consentientem (peccatum Originale esse justitiæ originalis privationem, & cum hac inordinatam partium animæ dispositionem, atque adeò non privationem puram, sed quendam habitum corruptum,) cùm recentium Theologorum rixis obrueretur, *Apologia* pag. 56. testante, repurgavit & in lucem restituit *Augustana Confessio*, quando *Art.* II. docuit, quòd *post lapsum Adæ omnes homines, secundùm naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia.* Sic enim (ut laudata *Apologia* pag. 55. hoc declarat) *rectè expressit utrumque in descriptione peccati originalis, videlicet defectus illos, non posse Deo credere, & non posse Deum timere ac diligere; item habere concupiscentiam, quæ carnalia quærit contra Verbum Dei.* Quæ tàm illustris in Confessione tradita definitio sudes erat in Pontificiorum oculis, cùm simul & veram de peccato originali doctrinam quasi in conspectum poneret, & detestabiles eorum errores de perfectione naturæ, & plus, quàm satis

erat, libero arbitrio, de perfecta impletione legis &c. in lucem protraheret, ipsi verò per generalia verba, an sit peccatum originis, & qui sint ejus effectus? tantùm disputari mallent, quò ista sua commenta liberiùs spargere possent. Hinc *Pighius*, æquè ut Pelagius Augustinum olim, Protestantes non parum exagitavit, quòd originale peccatum definire non erubescerent, cùm universa antiquitas duabus illis quæstionibus contenta fuerit: An sit? & quos habeat effectus? Sic &, quamvis *Concilium Tridentinum* primâ fronte videatur de peccato originis certi aliquid ponere & asserere, mera tamen fraus est, cùm *Andradius* in defens. Tridentinæ fidei Libr. V. apertè scribat, *in quonam consistat peccatum originale, ecclesiasticâ definitione determinatum non esse, ac fieri vix posse, ut ejus natura definitione certâ exprimatur.*

§. 8. *Justitiæ* autem *originalis privatio*, quam Peccatum Originis in sua essentia & formali ratione involvit, non est leve quoddam malum, sed intima & gravissima hominis corruptio. Ea enim perpetua inter habitum (h. e. formam positivam,) & hujus privationem habitudo est, ut, quantam perfectionem in subjecto importat habitus, tantam imperfectionem ac corruptionem ipsius privatio in eodem subjecto arguat, atque adeò, si habitus externam saltem habitudinem ad subjectum involvit, non autem illud intimè perficit, ejus etiam privatio nullam subjecti corruptionem internam importet. Quippe ut e. gr. potentia visiva (utpote quidam habitus, seu forma quædam positiva) inti-

intima & maxima oculi perfectio est: ita cœcitas, tanquam visivæ potentiæ privatio, intima est ac gravissima, etiamsi dolor non adsit, oculi corruptio atque imperfectio. Id quod ex pervetustis Ecclesiæ Doctoribus scitè observat *Basilius* M. Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus, dum in Libr. *regular. fusius disputatarum*, Tom. II. Oper. p. m. 531. scribit: Ὀφθαλμῶ φωτὸς στέρησις, κἂν μὴ ὀδύνη προσῇ, πάντων κακῶν ἐστιν ἀφορητότατον, h. e. *Oculo*, etiamsi dolor non adsit, cœcitas *malum est malorum omnium longè gravissimum*. Sicut autem è contrario lumen per aërem sparsum non intimam quandam aëris perfectionem importat: ita etiam tenebræ, quæ sunt privatio luminis, in interna quadam aëris corruptione seu depravatione non consistunt. Cùm igitur (quod in Loco de *Imagine Dei* ostensum est) originalis justitia totius hominis, & cumprimis facultatum animæ, summa & intima perfectio fuerit, ejus sanè privatio non est levis quædam, sed intima, gravissima & profundissima totius hominis, ac præcipuè facultatum animæ vitalium corruptio.

§. 9. Cùm & superiùs in Part I. Loc. V. Th. XIIX. §. 24. pag. 951. seq. à nobis evictum sit, justitiam originalem fuisse primo homini usitatè, simpliciter & absolutè *naturalem*, intimamque intellectus, voluntatis & appetitus sensitivi, totiusque hominis perfectionem, quæ hominis *naturæ* ad actus *connaturales* rectè exercendos *de lege naturæ* debita ac necessaria fuit, nemo non hinc facili negotiô colligit, peccatum originis, quod formali-

ter est justitiæ originalis absentia, *non esse doni alicujus supernaturalis privationem, quæ ipsam hominis naturam relinquat talem, qualis ab initio condita est, sed esse doni naturalis carentiam, quæ non relinquit naturam hominis in eâ perfectione, quâ ipsa fuit ante lapsum, verùm intimam ac profundissimam totius naturæ humanæ corruptionem importat.* Rei enim illius, quæ intimam, suæque naturæ ad actus connaturales rectè exercendos de lege naturæ debitam perfectionem deperdidit, natura haud supersest in perfectione illa, quâ ante isthanc jacturam extitit; prout certè oculi, vivisivâ jam spoliati, *natura* non in eadem supersest perfectione, quâ antè fuit. Ac, si perfectio aliqua fuit intima rei alicujus perfectio, quæ rei illius naturæ ad actus connaturales rectè exercendos de lege naturæ debita ac necessaria erat, sanè ejusdem perfectionis privatio (vi perpetuæ inter habitum & hujus privationem habitudinis) intimam ac profundissimam *naturæ* rei illius corruptionem importat. Sic &, si perfectio aliqua est totius naturæ rei alicujus perfectio, hujusdem privatio (vi ejusdem inter habitum & privationem habitudinis) est *totius naturæ* rei illius corruptio. Quocirca *Solida Declaratio Form. Concord.* pag. m. 640. accuratè inquit: *Peccatum originis est loco imaginis Dei amissæ in homine intima, pessima, profundissima, (instar cujusdam abyssi) inscrutabilis & ineffabilis CORRUPTIO TOTIUS NATURÆ, & omnium virium, inprimis verò superiorum & principalium animæ facultatum.*

§. 10.

§. 10. *Concupiscentiæ*, quam referimus ad peccatum originis, nomine absolutè positô juxta *Augustanæ Confessionis* Articulum II. intelligimus *connatam concupiscentiam pravam*, i. e. habitualem propensionem in malum nobis congenitam, quæ non solùm in appetitu sensitivo, verùm etiam in voluntate & intellectu, quin & in membris corporis residet. Nec enim concupiscentiæ vocabulum hîc accipimus in actu secundo pro ipsa actuali alicujus objecti appetitione, sed in actu primo pro habituali in aliquod objectum inclinatione. Nec verò concupiscentiæ vocem pro actu primo acceptam in stricto illo sumimus significatu, quô præcisè facultatis appetitivæ (voluntatis aut appetitus sensitivi) habitualem pronitatem denotat, sed laxô illô amplôque sensu adhibemus, quô cujusque facultatis animæ, intellectivæ etiam, propensionem in aliquod objectum habitualem designat. Neque verò acquisitam (cujusmodi est e. gr. habitus virtutis moralis, aut habitus vitii moralis,) sed connatam naturaque insitam inclinationem, & eam quidem, quæ in malum fertur, hîc indigitamus.

§. 11. Hîc & probè observandum est, quòd, quando cùm justitiæ originalis privationi, tùm concupiscentiæ nomen *corruptionis* tribuimus, id non accipiamus *terminativè*, prout illud, quod corruptionis vocabulo in obliquo additur, denotat corruptionis terminum, (seu rem, quæ per corruptionem destruitur,) hoc est, pro rei destructione, (quæ dicitur etiam corruptio substantialis;) sed sumamus

mus *subjectivè*, prout illud, quod corruptionis voci in obliquo additur, denotat corruptionis subjectum, (seu id, in quo velut in subjecto corruptio recipitur, ipsô in sua substantia permanente,) hoc est, pro depravatione quadam accidentali (quæ vocatur quoque corruptio accidentalis:) Cujusmodi acceptio obtinet aliàs, quando e. gr. cœcitas oculi, vitium morale hominis corruptio appellatur. Annotandum porrò est, quòd corruptionis seu depravationis vocabulum hîc non *effectivè* seu pro actione sumatur, (quô sensu adhibetur sanè, quando pravum sodalitium alios corrumpere dicitur,) sed *formaliter* accipiatur; quæ acceptio aliàs locum habet, cùm e. gr. cœcitas oculum, vitium morale hominem corrumpere seu depravare dicitur.

§. 12. Illud autem in thesi nostra comprehensum assertum, quòd *concupiscentia* (h. e. connata in malum habitualis propensio) *peccati verè ac propriè dicti rationem habeat, atque adeò, quia statim ab origine nostra nobis inest, & cum ipsa natura nostra originem trahit, sit peccatum originale*, opposuimus *Pontificiis*, qui concupiscentiam pravam, sive pro actu primo (h. e. pro connata habituali in malum pronitate,) sive pro actu secundo (h. e. pro inordinato usum rationis antevertente motu) sumatur, in se peccatum propriè dictum, ac proinde etiam peccatum originale esse inficiantur. Vid. *Bellarminus* Libr. V. de amiss. Grat. c. V. & *Becanus* in Manual. Controversiar. Libr. I. c. XIV.

§. 13.

§. 13. Demonstrandum igitur in præsenti est, quòd connata pronitas in malum habitualis sit peccatum verè ac propriè dictum: Hôc quippe evictô per se patet, concupiscentiam illam esse peccatum originale: Peccatum enim originale est verè ac propriè dictum peccatum, quod nobis connascitur, seu quod inde ab origine nostra nobis inest, & cum ipsa nostra natura originem habet.

§. 14. Habitualem verò in malum pronitatem congenitam verè ac propriè peccatum esse, duobus nunc commonstramus argumentis. Videlicet I. sic argumentamur: *Quicquid naturæ rationali ut tali per se & in se disconvenit, illud per se & in se est peccatum verè ac propriè dictum* (cùm formale peccati verè ac propriè dicti sit disconvenientia cum natura rationali ut tali, positô autem formali rei ponatur res ipsa.) *Atqui habitualis in malum pronitas congenita naturæ rationali ut tali per se & in se disconvenit*, (quia, nisi cohibeatur, ipsam rationem de suo solio deturbat, estque malarum cogitationum, malarum appetitionum, prout hæ sunt actus voluntatis, malorum affectuum, qui sunt motus appetitus sensitivi, & peccatorum actualium externorum radix, principium, & causa continua.) *Ergò habitualis in malum pronitas congenita per se & in se est peccatum verè ac propriè dictum.* II. Concludimus hunc in modum: *Quicquid est qualitas, cui non tantùm peccati nomen absolutè & simpliciter, sed & ipsum peccati verè ac propriè formale* (h. e. id, per quod aliquid est peccatum verè ac propriè dictum) *competit, illud utique est pecca-*

peccatum verè ac propriè loquendô. Atqui habitualis in malum pronitas congenita est qualitas, cui non tantùm peccati nomen absolutè & simpliciter, sed & ipsum peccati verè ac propriè dicti formale competit. Ergò habitualis in malum pronitas congenita est peccatum verè ac propriè loquendô. Major propositio per se & ex lumine naturæ evidens est. Minoris veritas inprimis ex cap. VI. & cap. VII. Epistolæ Pauli ad Rom. elucescit. Quippe *Rom.* VI, 12. 13. 14. (ubi ait Apostolus: *Ne regnet peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates illius: Neque sistite peccato membra vestra arma injustitiæ &c. Peccatum enim vobis non dominabitur*, cap. VII, 7. (ubi inquit Paulus: *Peccatum non cognovi, nisi per legem: Concupiscentiam namque non noviſſem, si lex non diceret: Ne concupiscas*) & cap. VII, 17. (ubi malum illud, quod ipse non velit, *ab habitante* in se *peccato* provenire scribit Apostolus) concupiscentiæ pravæ pro actu primo sumtæ, seu connatæ in malum propensioni habituali appellatio peccati absolutè & simpliciter attribuitur. Sic & *Rom.* VII. 7. Apostolus concupiscentiæ pravæ, sive pro habituali in malum pronitate, sive pro inordinato usum rationis antevertente motu accipiatur, formale peccati verè ac propriè dicti assignat, quando concupiscentiam pravam divinâ lege prohiberi, atque adeò ἀνομίαν importare docet. Formale enim peccati in ἀνομίᾳ consistere, in Loco Theologico proximè præcedente commonstratum est, ipseque docet *Bellarminus*, dum accuratam peccati definitionem (quæ utique definiti formale declarat)

rat) unicâ ἀνομίας voce absolvi Libr. II. de *amiss. Grat.* c. VIII. profitetur.

§. 15. Quicunque ex Pontificia secta minoris propositionis, quâ alterum hoc nostrum argumentum constat, probationem ex Paulo petitam eâ convellere exceptione nituntur, quòd Paulus in locis citatis non de connata inclinatione in malum habituali, nec de motibus inordinatis primò primis, sed de concupiscentia voluntaria disserat, illi non tantùm manifesto contextui Apostolico, sed & ipsis, quæ velut oracula cœlitùs delapsa suspiciunt, Concilii Tridentini decretis sese opponunt. Obluctantur, inquam, contextui Apostolico. Nam [α] Apostolus *Rom.* VI, 12. 13. 14. cap. VII, 7. & v. 17. agit de tali concupiscentia, de qua *Rom. VII.* 15. asserit, quòd eam non probet: at concupiscentiam voluntariam homo concupiscens omninò probat. [β] Apostolus *Rom.* VII, 17. contendit, se actus concupiscendi pravos (primò primos) non operari, sed habitans in se peccatum, quia scilicet iis carere, aut eos antevertere non possit: At verò si in contextu loqueretur de concupiscentia voluntaria, sibique talem ibi adscriberet, profectò dicere non posset, se actus concupiscendi pravos non operari: Homo enim, qui motus inordinatos voluntarios elicit, eos utique operatur, h. e. ita producit, ut ipsis supersedere queat. [γ] Quando Apostolus speciatim *Rom.* VII, 17. ait, actus concupiscendi pravos indeliberatos non se, sed inhabitans peccatum, operari, per τὸ inhabitans peccatum ideò non potest intelligere concupiscentiam voluntariam,

riam, quòd aliàs ineptus hic & contradictorius sensus emergeret: Actus concupiscendi pravos indeliberatos & involuntarios ego non operor, sed concupiscentia mea voluntaria eos operatur. Hinc cum *Augustanæ Confessionis Apologetâ*, qui itidem pag. 57. in hac ipsa quæstione ad cap. VII. Epist. ad Rom. provocaverat, haud immeritò dicimus: *Hæc testimonia nullâ cavillatione everti possunt.* Illi ipsi Pontificii, qui exceptione hactenus explosâ nituntur, Concilii Tridentini sententiæ contradicunt. Hujus enim conciliabuli Patres *sess.* V. pronunciarunt, *concupiscentiam illam, quam Apostolus in locis allegatis peccatum vocat, non propriè, sed quòd ex peccato sit & ad peccatum inclinet, peccatum dici.* Ast concupiscentiam voluntariam verè ac propriè peccatum esse, nemo Pontificiorum negaverit.

§. 16. Qui verò ex factione Pontificia ad secundi argumenti nostri minorem propositionem excipiunt, in allegatis Apostoli locis peccatum metonymicè sumi pro causa peccati, seu pro eo, quod ad peccatum inclinat, illi ineptissimè disputant. Hîc enim, ubi de propositionis illius: *Habitualis in malum pronitas congenita est qualitas, cui non tantùm peccati nomen absolutè & simpliciter, sed & ipsum peccati verè ac propriè dicti formale competit*, probatione agitur, non est quæstio de eo: *utrum Apostolus nomen peccati propriè, an impropriè sumat?* sed de eo tantùm disputatur: utrum Apostolus concupiscentiæ seu congenitæ pronitati in malum habituali non tantùm peccati appel-

appellationem absolutè & simpliciter, verùm etiam ipsum peccati verè ac propriè dicti formale tribuat?

§. 19. Speciatim eam nostræ adversus Pontificios hactenus assertæ sententiæ partem, quòd *concupiscentia sit peccatum originale*, eâdem ferè ratione constabilimus, quâ propugnavit ipsam *Augustanæ Confessionis Apologeta*. Hic quippe pag. 57. eruditè scribit: *Disputant* (adversarii) *concupiscentiam pœnam esse, non peccatum, Lutherus defendit, peccatum esse. Suprà dictum est, Augustinum definire peccatum originis, quòd sit concupiscentia. Expostulent cum Augustino, si quid habet incommodi hæc sententia.* Consimili igitur pactô nos hîc procedimus. Videlicet disputant Pontificii, concupiscentiam, h. e. connatam in malum pronitatem habitualem, non esse peccatum originis; Protestantes defendunt, eam esse peccatum originale. *Augustinus, Thomas Aquinas* & alii magni nominis *Scholastici* definiunt peccatum originale, quòd sit concupiscentia. Expostulent Pontificii cum Augustino, expostulent cum suo Thoma, expostulent cum aliis magni nominis Scholasticis, si quid habet incommodi Protestantium sententia. Sanè ipse *Jansenius* Tom. II. *Augustini sui, de statu naturæ lapsæ* Libr. I. c. XIIX. per totum probat, sententiam illam, quòd peccatum originis non sit privatio pura, sed habitus corruptus, ipsius esse Augustini. *Thomas* quoque, quem in hac materia *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 55. collaudat, in prima 2dæ quæst. 82. art. I. peccatum originis con-

ſtituit in *habitu*, *non quidem qualis eſt ſcientia & virtus*, *ſed qualis eſt & dicitur diſpoſitio alicujus naturæ ex multis compoſitæ*, *ſecundùm quam benè ſe habet vel malè ad aliquid: cujusmodi eſt ægritudo & ſanitas corporis.* Dicit enim, *peccatum originis eſſe quandam inordinatam diſpoſitionem*, *provenientem ex diſſolutione illius harmoniæ*, *in qua conſiſtebat ratio originalis juſtitiæ*, *ſicut etiam ægritudo corporalis eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis*, *ſecundùm quam ſolvitur æqualitas*, *in qua conſiſtit ratio ſanitatis*; & ſubjicit, peccatum originis dici inde *langvorem naturæ.* Sic & ibid. in *reſponſ.* ad I. docet, *peccatum originis non eſſe privationem puram*, *ſed habitum quendam corruptum*, *& includere præter privationem juſtitiæ originalis inordinatam diſpoſitionem partium animæ.* Et annon *Bellarmino* Libr. V. de amiſſ. grat. cap. XV. diſertè fatetur, magni nominis Scholaſticos, *Lombardum*, *Gregorium Ariminenſem*, *Henricum Gandavenſem*, & *Johannem Driedonem*, peccatum originale in quadam poſitiva qualitate (h. e. in morbida animæ qualitate, prava deſideria perpetuò excitante) conſtituiſſe?

§. 17. Recentiores autem Pontificii, ut congenitam pronitatem in malum habitualem verè ac propriè peccatum non eſſe evincant, potiſſimùm ita argumentantur: *Quicquid eſt peccatum verè ac propriè dictum*, *illud per Chriſti gratiam in baptismo tollitur ac deletur.* *Atqui congenita pronitas in malum habitualis per Chriſti gratiam in baptismo non tollitur* (cùm in nobis inclinationem & pronitatem ad

ad concupiſcendum malum perſentiſcamus Rom. VII, 23. & ex illa propenſione motus concupiſcentiæ ad malum prorumpat Gal. V, 17.) *Ergò congenita pronitas in malum habitualis non eſt peccatum verè ac propriè dictum.* Vid. *Bellarminus* Libr. V. de amiſſ. grat. cap. IX. & *Becanus* in Manual. Controverſiarum Libr. I. c. XIV. §. 2. Sed reſp. Major objecti argumenti propoſitio bifariàm poteſt accipi: [1] eô ſenſu, quòd, quicquid eſt peccatum verè ac propriè dictum, illud *in ſe* & *quoad intrinſecam ſuam rationem* in baptismo penitùs & totaliter aboleatur; hôc ſenſu, quòd, quicquid peccati verè ac propriè dicti rationem habet, id quoad reatum, quatenus hic ex parte hominis peccatoris ſpectatur, in baptismo deleatur. Si prior ſenſus locum hîc obtinet, propoſitio major falſa eſt. Peccatum enim originis *in ſe* per baptismum non penitùs tollitur, ſeu per baptismum non ita abolетur, ut quoad ſuam naturam, ſeu quoad intrinſecam & propriam ſuam rationem in baptizato planè non detur: Illud enim peccatum hôc modô ſpectatum poſt baptismum remanere Paulus *Rom.* VII, 23. manifeſtè docet, atque *Auguſtinus* Libr. I. de Nupt. & Concup. c. XXV. & Libr. I. de Peccator. merit. & remiſſ. c. XXXIX. (ubi *carnis concupiſcentiam*, in qua rationem peccati originalis conſtituere ſolet, *in baptismo* dixit *dimitti*, *non ut non ſit*, *ſed ut in peccatum non imputetur*) diſertè profeſſus eſt. Miramur igitur, Pontificios (ut *Auguſtianæ Confeſſionis Apologia* pag. 56. refert) *flagellaſſe Lutherum*, quòd *Peccatum Originis manere poſt baptiſmum*

ſmum ſcripſerit. Is enim peccatum originale non niſi in ſe, & quoad intrinſecam ſuam propriamque rationem tunc conſideravit: Atqui hôc modô peccatum originale poſt baptismum ſupereſſe, in aperto eſt. Cæterùm ſi major Papiſtici argumenti propoſitio ſenſu alterô intelligatur, minor ejusdem argumenti falſa evadit. Connata enim habitualis in malum propenſio per Chriſti gratiam in baptismo tollitur quoad *reatum*, non in ordine ad ipſam illam inclinationem ſpectatum: concupiſcentia enim ipſa reatum ſibi nexu indivulſô conjunctum habet; ſed ex parte hominis concupiſcentis conſideratum: Seu, reatus, quem congenita illa inclinatio in homine inducit, ita à peccatore per baptismum tollitur, ut is non amplius coram Deo ſit reus & puniendus. Nam cùm baptizato per fidem ſatisfactio Chriſti applicata ſit, is coram divino judicio non amplius ſpectatur ut reus, ſeu ut perſona ob peccatum punienda, ſed ut juſtus, per juſtitiam videlicet Chriſti fide imputatam. Hinc *Lutherus* (ut *Auguſtanæ Confeſſionis Apologia* pag. 56. ſeq. accuratè & eruditè annotat) *ſemper ita ſcripſit, quòd Baptismus tollat reatum peccati originalis, etiamſi materiale, ut adverſarii vocant, peccati maneat, videlicet concupiſcentia* (h. e. habitualis propenſio in malum congenita.) *Ad eundem modum loquitur & Auguſtinus, qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non ſit, ſed ut non imputetur. Hîc palàm fatetur, eſſe, hoc eſt, manere peccatum, tametſi non imputetur. Et hæc ſententia adeò placuit poſterioribus, ut recitata ſit & in Decretis.*

(Ipſum

(Ipsum sanè Canonicum Jus c. II. Dist. IV. de Consecr. ex Augustino docet: In Baptismo concupiscentiam extingvi, non ut non sit, sed ut non obsit.) *Et contra Julianum inquit Augustinus: Lex ista, quæ est in membris, remissa est regeneratione spirituali, & manet in carne mortali. Remissa est, quia reatus solutus est Sacramento, quo renascuntur fideles. Manet autem* (inse,) *quia operatur desideria, contra quæ dimicant fideles* (agere verò præsupponit existere.) *Sic sentire ac docere Lutherum sciunt adversarii; Et cùm rem improbare non possint, verba tamen calumniantur, ut hôc artificiô innocentem opprimant.*

§. 18. Reliquas Pontificiorum rationes nobis hîc oppositas doctè solideque B. *Scherzerus* in Anti-Bellarm. Disp. XV. pag. 649. seqq. & B. *Bechmannus* in Theol. Polem. Part. II. Controv. III. Sect. III. examinârunt.

§. 19. Hîc autem, ubi connatam in malum inclinationem habitualem peccati verè ac propriè dicti rationem habere contendimus, non tantùm contra *Pontificios*, sed & adversus *Quakeros* idem cum Anti-Christi satellitibus hîc cornu sufflantes decertamus. *Quakeri* enim, etsi doceant, quòd ex Adami lapsu omnes ejus posteri corruptionem quandam, nempe *carnales concupiscentias* aut *cupiditates*, *pravasque inclinationes cor hominis occupantes contraxerint*, statuunt tamen, *corruptionem eam non esse peccatum verè & propriè dictum* (seu non importare ἀνομίαν offensamque Dei, nec hominem culpabilem, æternæque damnationis reum

facere,) sed *peccati* duntaxat *semen* esse, seu aliquid, quod homines ad impietatem inclinat. Postquam enim *Barclajus* in Apolog. Th. IV. pag. 6. disertè affirmaverat, post Adamum semen peccati, quod ex natura sua inquinatum sit, & homines ad peccatum inclinet, ad omnes homines propagatum esse, tandem pag. 62. monet, usurpare se nomen seminis peccati aliaque nomina, e. gr. mortis, corporis mortiferi, hominis veteris, non autem *originalis peccati*, eò quòd phrasis hæc sit inscripturalis barbarismus, quô imputatio peccati, infantibus facta, inter Christianos intrusa sit. Sic & *William Catton*, etsi im Schall der Wahrheit pag. 10. carnales concupiscentias aut cupiditates pravasque inclinationes, quæ cor hominis occupaverint, per lapsum Adami contractas esse concedat, peccatum tamen originis, velut in Scripturis non enunciatum, inficiatur.

§. 20. Asseruimus tandem in thesi nostra, *peccatum originis absolutè loquendô non esse substantiam.* Nam substantiæ vox, absolutè posita, in oppositione ad accidens prædicamentale accipitur, atque ens, quod per se existit, nec est in altero tanquam in subjecto, seu (uti *Damascenus* in Dial. c. XXIX. loquitur) πρᾶγμα ἀυθύπαρκτον, μὴ δεόμενον ἄλλυ πρὸς σύστασιν, denotat: Ast nullum peccatum per se existere, Logicæ tirones norunt. Quod & in Loco Theologico proximè antecedente probatum dedimus. Confer. B. *Simon Musæus*, Flacii olim in academia Jenensi Collega, & in disputatione Vinariensi Parastata, in *Repetitione & Con-*

Confirmatione orthodoxæ sententiæ de peccato originali, quod nequaquam sit ulla substantia, sed extrema substantiæ corruptio, quam anno 1573. contra Flacium edidit.

§. 21. Licet verò absolutè dici nequeat, peccatum originis esse substantiam, certô tamen sensu asseri potest, *peccatum originis esse de hominis, quà originaliter corruptus est, substantiâ.* Substantiæ enim notionem non rarò pro essentia sumi, notissimum est: Id quod jam olim observavit quoque *Marius Victorinus*, quando initio *libri tertii adversus Arianos* docuit, *omne, quod est unicuique suum esse, substantiam esse.* Atqui sicut de essentia hominis, quà integer erat, integritas seu justitia originalis fuit, ita de essentia hominis, ut naturaliter corrupti, est peccatum originale: Forma enim denominans est de essentia denominati, e. gr. eruditio de essentia hominis eruditi, Theologia de essentia Theologi &c. Quod ipsum planè docuit B. *Jacobus Andreæ* in epistolâ ad Flacium annô 1574. exaratâ. Postquam enim scripserat: *Justus homo constituitur ex corpore, anima & justitia, ideoque justitia est de essentia hominis justi, quoniam sine justitia non potest esse homo justus, sicut sine anima non potest esse rationalis. Sic homo injustus seu peccator constat ex anima, & corpore, & peccato; ideò peccatum de essentia hominis peccatoris est, & pars ejus essentialis*; subdit statim: *Justitia originalis non fuit ornamentum tantùm hominis, quô amisso ipse tamen perfectus fuisset; sed fuit de essentia justi hominis, quô amisso verè rudera reliqua manserunt tantùm, si per-*

fectionem illam ſpectemus, in qua primus homo conditus fuit. Et in hâc ſententiâ, non aliâ Lutherus, Wigandus, aliique rectè ſcripſerunt, juſtitiam originalem fuiſſe de eſſentia primi hominis, quia non ſine juſtitia, ſed in ipſa & cum ipſa juſtitia conditus fuit. Idem tradidit *Nicolaus Ambsdorffius*, quando (B. *Calovio* Syſtem. Theol. Tom. IV. pag. 653. annotante) ad Baſilium Monerum ſcripſit, *juſtitiam originalem ſubſtantiam eſſe hominis juſti, peccatum originale ſubſtantiam*, vel *eſſentiam eſſe hominis corrupti.* Eôdem pactô B. *Calovius* circumſpectè ac eruditè docet, cùm l. c. pag. 651. inquit: *De eſſentia hominis peccatoris eſt peccatum, cùm formam denominantem de eſſentia denominati eſſe nemo ambigat: Sed, quæ ita de eſſentia dicuntur eſſe, non illicò ſunt SUBSTANTIÆ, cùm etiam formæ denominantes accidentales ſint.*

§. 22. Etſi igitur peccatum originis de hominis, quâ originaliter corruptus ſeu peccator eſt, ſubſtantia & eſſentia ſit, non tamen poſt lapſum eſt eſſentia & ſubſtantia hominis ratione partium & proprietatum ſuarum eſſentialium ſpectati, aut principalis & præſtantiſſima pars eſſentialis hominis, anima nimirum rationalis. Sanè enim ſententiam illam, quòd poſt lapſum peccatum originis ſit ipſa hominis eâ ratione ſpectati ſubſtantia, aut certè præſtantiſſima hominis eô pactô conſiderati pars, anima nempe rationalis, cum præcipuis Chriſtianæ fidei articulis, & ſpeciatim quidem cum articulis de Creatione, de Incarnatione, de Redemtione, de Sanctificatione & de Reſurrectione,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0234
DFG

ne, pugnare, *Formulæ Concordiæ ſtrictiùs dictæ* auctores art. I. pag. 573. ſcitè oſtenderunt. Confer. B. *Hutterus* in Explic. Form. Conc. pag. 28. ſeqq. & B. *Bechmannus* in Theol. Polem. Part. II. Controv. IV. ſect. II. qui argumenta illa, quæ Formula Concordiæ tetro illi ac deteſtabili errori oppoſuit, egregiè illuſtrarunt.

§. 23. Diſputari autem hîc ſolet, utrum *Matthias Flacius*, profundæ aliàs eruditionis, ardentis zeli, & indefeſſi laboris, atque de Lutheranis Eccleſiis, præſertim interreligionis tempore non malè meritus Theologus, craſſum illum, multosque alios poſt ſe trahentem errorem tenuerit, quòd peccatum originale poſt lapſum ſit ipſa ſubſtantia & eſſentia, aut certè de ſubſtantia & eſſentia hominis per ſe ipſum & ratione partium ſuarum eſſentialium, corporis & animæ, ſpectati, ſeu (uti Formula Concordiæ ſtrictè dicta pag. 572. 576. ejusque ſolida Declaratio pag. 639. ſtatum controverſiæ exquiſitè format) quòd *peccatum originale* ſit *propriè*, *& ABSQUE OMNI DISCRIMINE*, *ipſa hominis corrupti* (h. e. hominis poſt lapſum exiſtentis, ſeu hominis illius, qui eſt corruptus) *natura*, *ſubſtantia & eſſentia*, *aut certè principalis & præſtantiſſima pars ipſius ſubſtantiæ*, *utpote ipſa rationalis anima in ſummo ſuo gradu*, *in ſummis ipſius viribus conſiderata*, *nec inter naturam corruptam poſt lapſum PER SEIPSAM conſideratam*, *& inter peccatum originis nulla prorſus ſit differentia?*

§. 24. Id equidem extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, quòd Flacii ſectatores & diſci-

puli, M. *Christophorus Irenæus*, *Cyriacus Spangenbergius* Junior, *Martinus Wolfius*, *Matthæus Schneiderus*, *Fraxineus*, & alii existimaverint, peccatum originis simpliciter esse substantiam, ac speciatim quidem ipsam hominis quoad partes suas essentiales (physicas,) corpus & animam, spectati substantiam, inprimis vero animam ejus rationalem. Nam peccatum originale substantiam hominis esse ita contendebant, ut *Deum non solùm homini peccatori, sed etiam ipsi peccato originis propitium esse*, *Deum peccatum originale ipsum in gratiam recipere*, *Christum redemisse ipsum peccatum originis*, *Spiritum Sanctum ipsum peccatum originis sanctificare*, *ac proinde peccatum originis baptizari tandemque salvari* docerent. Quô ipsô sanè homines illi ἀφιλόσοφοι (ut B. *Calovio* in Systema. Theol. Tom. V. Art. III. Qv. III. p. m. 227. dicuntur) *importuni* & *indocti* (uti B. *Meisnero* in Anthropol. Dec. I. Disp. VI. Qv. I. §. XIII. vocantur) non tantùm absonum illum ab Ecclesia dudum condemnatum errorem, quòd peccatum sit substantia, ac res per se vivens & subsistens, non autem quædam tantùm qualitas vel affectio, quæ substantiæ supervenerit, sed & aliam pestilentissimam hæresin, quæ ipsam hominis secundùm partes essentiales physicas, corpus & animam, spectati substantiam cum peccato originali penitùs confundit, præcipuosque Christianæ fidei articulos labefactat, ivére propugnatum. Conferatur ex Flacianis *Christophorus Irenæus* in Examine, quod adversus Librum Concordiæ Anno 1581. edidit.

§. 25.

§. 25. Verùm enim verò, ad *Flacium* ipsum quod attinet, B. *Meisnerus*, uti l. c. §. XII. quæstionis illius: *utrum, peccatum originis nunc post lapsum hominis absolutè, seu secundùm corpus & animam spectati substantiam & essentiam, aut certè de ipsius eô modô considerati natura & essentia esse, Flacius reverà senserit, nec ne?* neutram partem affirmat, aliorum potiùs censuram & judicium in omnibus secuturus; ita in Tract. de *Ecclesia* pag. 134. excussâ animo illâ fluctuatione, certoque formatô judiciô, Flacium â sententia illa, quam discipuli & sectatores ipsius pertinaciter & contentiosè defenderunt, absolvit, dum *Flacium*, ait, *in fundamento fidei erràsse, & ex malitia Ecclesiam turbasse, ut dicamus, non permittunt ejus scripta, nec svadet Christiana charitas.* Quod si enim *Flacius*, peccatum originis ipsam hominis corrupti substantiam & essentiam, aut certè principalem & præstantissimam partem illius substantiæ, esse contendens, in fundamento fidei non erravit, certè originalem corruptionem hominis absolutè & secundùm partes suas essentiales, corpus & animam, spectati substantiam esse, haudquaquam asseruit. *Illud* enim *dogma, nullum inter ipsam hominis eô modô considerati substantiam & inter peccatum originis esse discrimen, cum præcipuis fidei nostræ articulis* (*de creatione, de redemtione, de sanctificatione, & resurrectione carnis nostræ*) *pugnare, neque salvis hisce articulis stare posse* (adeóque fundamento fidei adversari) Formula Concordiæ pag 573. rectè monet, & pag. 574. exquisitè demonstrat. *Calovius*

vius quoque l. c. censet, *Flacium*, *etsi* ab initio, *peccatum originale substantiam, accidenti prædicamentali contradistinctam, esse asseruerit, posteà tamen sese orthodoxum satis quoad rem declarásse, discipulos autem ejus, mentem illius minimè assecutos, Manichæismo affines evasisse.* E contrario B. *Leonh. Hutterus* in explic. Form. Concord. pag. 23. disertè scribit, *Flacium, quod semel per incogitantiam* (in disputatione Vinariensi) *effutiverat, illud postmodum, licet aliquoties ab Ecclesia admonitus, erroris-que convictus esset, retractare tamen noluisse, sed funestum illud schisma excitasse, quod passim multas Ecclesias, orthodoxas alioqui, miserè turbavit & disjecit.* Eundem in sensum de Flacii sententia pronunciat B. *Kromayerus*, quando in Theol. Polem. Art. VIII. Thes. III. p. m. 374. ait: *Quod Matthias Flacius in fervore disputationis hanc thesin suam fecerit, peccatum esse ipsam hominis substantiam, eamquè variis modis incrustaverit, in loco diximus antecedente. Sunt quidem NONNULLI Flacium EXCUSANTES, & in Flacianos, quòd Flacium non rectè intellexerint, culpam omnem transferentes. Volunt enim Flacium non de homine Physico, sed Theologico egisse, quasi peccatum esset de essentia hominis, quatenus corruptus est, ut doctrina est de essentia hominis docti. Verùm non de hominis essentia, sed substantia controversia fuit. Non quæsitum fuit, an peccatum sit de essentia hominis corrupti, sed an sit ipsa hominis substantia? Quid? quòd periculosæ consequentiæ, quòd homo post lapsum sit figmentum Satanæ, quòd Christus assumserit carnem alterius speciei, quòd homo*

in

in conversione substantialiter mutetur, quas admisit & propugnavit Flacius, nec non argumenta sententiæ orthodoxæ oppositæ, mentem ipsius satis superque nobis manifestent. Idem de Flacio B. *Johannes Musæus* sentit, qui in sua clavi Flacianæ præfixâ præfatione inquit: *Neminem latet, quàm infaustô, proh dolor! sidere Auctor in errorem absonum, noxium, & in Manichæis dudum ab Ecclesia universa rejectum ac damnatum, quòd peccatum originis ipsa hominis corrupti substantia, potissimum verò ejus anima rationalis sit, inciderit. Quem postea, quod magnoperè dolendum, Vir cætera doctissimus, sed & sententiarum semel animo conceptarum, tenacissimus, ut editis scriptis variis, ita etiam in hujus clavis parte altera, conscripto libro peculiari de peccato originis CONSTANTER propugnavit: quin & in parte utraque admiscuit sparsim phrases, sententias, & locorum Scripturæ explicationes, vel potius detorsiones, quæ errorem eundem, si non expressè continent, olent tamen, & ex eo, velut ex fonte, fluunt* &c.

§. 26. Nos quoque, consideratis benè & expensis phrasibus Flacii & argumentis, non possumus non existimare, quòd ipse errorem illum execrabilem, peccatum originis esse ipsam hominis post lapsum existentis, atque in se ipso, seu quoad corpus & animam spectati, substantiam, potissimum verò ejus animam rationalem, non tantùm in disputationis Vinariensis annô 1560. sub mensis Augusti initium adornatæ fervore, atque ab exortæ infelicis hujus controversiæ primordio, sed & posthac in scriptis suis posterioribus, atque in col-

lo-

loquio annô 1574. d. 12. Maji in arce Langenau Silesiorum cum D. Jacobo Colero brevi ante suum ex hac mortalitate discessum habitô constanter asseruerit, etsi in explicandis animi sensis varius ac inconstans fuerit, & (ut D. *Simon Musæus* in libello suprà citato cap. III. f. 2. de eo conqueritur) perpetuis fallaciis plurium propositionum, antilogiis, æquivocationibus, & suæ ipsius orationis perversionibus luserit & tergiversatus fuerit.

§. 27. Tria igitur, ut nostra hæc de *Flacio* sententia sufficienter adstruatur, demonstranda veniunt: (1) quòd *Flacius* eum, quem ipsi hîc tribuimus, errorem in Vinariensi disputatione propugnaverit; (2) quòd posthac quoque errorem istum constanter tenuerit; (3) quòd in explicandis animi sui sensis admodùm varius fuerit.

§. 28. Primum exinde patet liquidò, quòd, dum *Victorinus Strigelius*, synergistarum illius temporis sive semi-Pelagianorum recentium coryphæus, ad eludendum primum sibi objectum *Flacii* validissimum argumentum, peccatum originis esse accidens, liberum arbitrium verò substantiam esse, in secunda disputationis Vinariensis sessione subinde contendebat, *Flacio* in eâdem & subsecuta tertia sessione peccatum originis accidens esse disertè negaret, atq; è contrario substantiam esse iteratò affirmaret, *Originale*, inquiens, *peccatum non est accidens, sed substantia, cùm peccatum hoc Scriptura veterem hominem, carnem, figmentum, massam cordis humani, malum cor, non accidens in corde, appellet, idque ipsum Lutherus in Comment. super Genesin doceat.*

ceat. Si enim *Flacius* peccatum originale eô saltem sensu substantiam hominis esse dixisset, quòd hominem in esse peccatoris constituat, seu de essentia hominis corrupti quà corrupti sit, non negasset absolutè, peccatum illud esse accidens, nec id absolutè substantiam, nempe ipsam cordis humani massam, esse affirmasset: Quod enim hominem peccatorem in esse peccatoris constituit, id absolutè loquendô non est substantia, sed accidens; prout aliæ formæ denominantes accidentales, etsi sint de essentia denominati, e. gr. doctrina de essentia docti, Theologia de essentia Theologi, non illicò sunt substantiæ, sed sunt ac manent accidentia. Ac, si Illyricus tunc nil aliud, quàm de hominis corrupti & peccatoris, quà corruptus & peccator est, essentiâ peccatum originis esse significâsset, peccatum illud non accidens in corde, sed ipsam cordis humani substantiam esse, minimè asseruisset. Licet enim peccatum originale sit de hominis corrupti quà corrupti essentia, non tamen est ipsa cordis humani massa, sed accidens in corde; perinde ut e. gr. doctrina, etsi sit de essentia docti quà docti, non tamen est ipse homo doctus, sed accidens in homine. Eadem *Flacii* mens (quòd nempe *peccatum originis non sit saltem de hominis peccatoris & corrupti, quà peccator & corruptus est, essentiâ, sed sit ipsa hominis post lapsum existentis, atque in se ipso, seu quoad corpus & animam spectati substantia*) ex eo quoque colligitur oppidò, quòd posteà repudiaret ipse conciliationem, quam B. *Jacobus Andreæ* in epistola ad eundem annô 1574. con-

conscriptâ sic proponebat: *Ecce, mi Illyrice, iterum habes pacem & concordiam in manu positam, quâ Ecclesiam Dei maximo offendiculo liberare potes, si videlicet consideraveris, quòd unum & idem, diversô tamen respectu, verè dici possit essentia & accidens, sive de originali peccato, sive de originali justitia loquaris. Accidens, quia inest substantiæ mutabili. Essentia, quatenus consideratur homo peccator ratione vitii, quia peccatum in homine non est simpliciter nihil, sed horribilis substantiæ à Deo creatæ corruptio. Hæc si tibi non satisfaciunt, nescio sanè, quid pro veritate ad pacem amplius vel dici, vel scribi possit.*

§. 29. Nec minus secunda nostra assertio (quòd scilicet Illyricus etiam post habitam Vinariensem disputationem in posterioribus suis scriptis, atque in colloquio Langenawensi errorem istum constanter tenuerit) ex manifestis indiciis patescit. Quippe in colloquio isthoc Lit. G. 1. *Dico*, inquiebat, *hanc meam substantiam & naturam esse coram Deo peccatum, hoc est, rem, propter quam mihi irascitur Deus.* Atqui hæc nostra substantia & natura in ipsâ corporis animæque rationalis substantia posita est. Sic & non tantùm in *Clave Scripturæ* phrases ac sacrarum literarum interpretationes eundem errorem redolentes (B. *Joh. Musæo* in præfat. sapienter annotante) passim occurrunt, verùm etiam peculiaris de peccato originali libellus, Clavis illius parti secundæ insertus, errori isti incrustando ac propugnando unicè incumbit. Nam in tractatu illo non modò *Flacius* disertè ait, *totum hominem, quantus jam est, sive in substantia, sive in acci-*

accidentibus, quatenus talis est, meram abominationem ac peccatum esse; originale peccatum seu hominis corruptionem esse ipsam hominis corruptam naturam, præsertim malam mentem, & malum animum, non certè quoddam abstractum, sed ipsam rem corruptam & perversam, Deoque inimicam & adversam, nempe malam mentem, & malum animum; originalem malitiam ipsum cor, mentem rationalem, & totum animalem seu carnalem hominem esse, atque ita ipsam substantiam essentiamve intimam hominis: Verùm etiam variis argumentis hasce conclusiones absonas: *Quare ipsa rationalis anima, jam in imaginem Diaboli transformata, est originale peccatum; igitur ipsa hominis natura, corruptissima persona ac substantia cum suis accidentibus est peccatum,* evincere allaborat. An verò is, qui totum hominem, quantus jam est, sive in substantia, sive in accidentibus, ipsamque rationalem hominis animam, ac corruptam hominis personam cum suis accidentibus peccatum esse, ac vice versa peccatum originale ipsam hominis corruptam naturam, præsertim ipsum cor, ipsamque animam rationalem esse asserit, nil aliud, quàm hominem per peccatum in esse peccatoris constitui docet? Annon potiùs clarè ac manifestè indicat, peccatum originale esse ipsam hominis post lapsum existentis, atque in seipso, seu quoad corpus & animam, spectati substantiam. Qui enim e. gr. docere vult, Theologiam esse de essentia Theologi quà Theologi, is neutiquam dicit, totum Theologum, quantus jam est, sive in substantia, sive in accidentibus, quatenus talis est,

esse meram Theologiam, ipsam Theologi animam rationalem, ac ipsam ejus personam cum suis accidentibus esse Theologiam, atque Theologiam esse ipsam hominis Theologi naturam, præsertim ipsum ejus substantiale cor, ipsamque ejus mentem ac rationalem animam. Quid? quod *Flacius* in libello jam citato exsertè ajat, *originale peccatum esse cùm aliquam substantiam, nempe ipsum cor lapideum, seu perversam rationem, vel rationalem animam, quæ est substantia, tùm etiam accidentia plurima, ut vanas pessimas inclinationes nobiscum natas*, seque absolutè peccatum originale vocare substantiam, *quia cor hominis adamantinum primariò sit peccatum originale, & præcipuè à Sacra Scriptura accusetur.* Atqui si *Flacius* peccatum originis eô saltem sensu, quô formæ denominantes sunt de essentia denominati, nempe quòd hominem peccatorem in esse peccatoris constituat, hominis substantiam esse docuisset, nequaquam dixisset, aliquam peccati originalis partem esse substantiam, aliquam esse accidens, sed totum peccatum originale substantiam vocâsset: Nam totum peccatum originis, etiam ipsa mala nobiscum nata inclinatio, est de hominis peccatoris & naturaliter corrupti, quatenus peccator & naturaliter corruptus est, essentia ac ratione formali. Et, quando ibidem scribit *Illyricus*, se peccatum originis absolutè vocare substantiam, quòd rationalis anima primariò sit peccatum originale, hôc ipsô significat valdè manifestè, se peccatum originis non aliô, quàm eô sensu, quòd sit hominis secundùm essentiales suas partes, cor-

corpus & animam, spectati essentia & natura, potissimùm verò anima ejus rationalis, ipsam hominis substantiam esse existimare.

§. 30. Nec tandem tertium nostrum assertum, quòd *Illyricus in explicandis animi sui sensis varius & inconstans fuerit*, commonstrare difficile est. Quandoque enim negabat, quod disertè affirmaverat: quemadmodum e. gr. in colloquio Langenawensi à D. Colero interrogatus, quæ esset sua sententia de illa propositione: *Peccatum est substantia*; an eam pro sua agnosceret, & quomodo illam intelligeret? respondebat: *Isthæc propositio non est mea, nec ego illam pro mea agnosco: Nunquam usus sum istâ phrasi, peccatum est substantia, sed eâ semper, peccatum est forma essentialis animæ rationalis*; cùm tamen non tantùm in Disputatione Vinariensi à *Strigelio*, num peccatum originale esset substantia? quæsitus, constanter id asseruerit & defenderit, sed etiam in peculiari *de peccato originis* Libro, cui in *Tractatu* VI. *partis secundæ Clavis* locum assignavit, aliquod peccatum substantiam, aliquod accidens esse, ac ipsam rationalem animam, jam in imaginem Diaboli transformatam, esse originale peccatum, hanc autem certè substantiam esse, expressè totidemque verbis affirmaverit, quin imò adhuc in ipso illo colloquio Langenauensi *Ajo*, dixerit, *hanc meam substantiam & naturam esse coram Deo peccatum, hoc est, rem, propter quam mihi irascitur Deus.* Spectat & ad viri illius inconstantiam, quòd modò in Disputatione Vinariensi absolutè perhiberet, peccatum originis non

esse accidens, sed substantiam, modò in citato *libro de peccat. orig.* aliquam peccati illius partem esse substantiam, aliquam verò esse accidens contenderet.

§. 31. Cæterùm *Flacium* ab horribili, quem ipsi tribuimus, errore minimè liberant, qui Doctorem illũ docuisse objiciunt, quòd *peccatum originale hominis non physicè, sed theologicè considerati sit substantia.* Flacio enim, dum peccatũ originale hominis theologicè considerati substantiã esse contendit, hôc ipsô peccatum illud ipsam totius hominis, inprimis verò animæ rationalis, post lapsum essentialiter & substantialiter (seu eô modô, quô vinum mutatur exspirante aëreâ & igneâ, remanente autem terrenâ & aqueâ substantiâ) mutatæ substantiam esse asseruit. Quemadmodum enim hominem Theologicè considerare *Illyrico* idem est, quod hominem secundùm corpus & animam contemplari in eo statu, in quo vel integer est, vel corruptus: Ita hominem Physicè considerare illi ipsi Doctori idem est ac hominem spectare quoad corpus & animam, nec non quoad partes integrales, itemque ratione proprietatum & affectionum physicarum, e. gr. risibilitatis, potentiæ numerandi, certæ staturæ &c. abstrahendô & præscindendô à statu cùm integritatis, tùm corruptionis. Hinc quando *Flacius* peccatum originis ipsam hominis Theologicè considerati substantiam esse docuit, nil significavit aliud, quàm peccatum illud esse ipsam personam hominis corruptam justitiaque originali destitutam, ipsamque hominis corruptam animam rationalem. Quam

su-

suam sententiam ipsemet clarè subinnuit, quando in citato sæpiùs libro scribit: *Originale peccatum est & dicitur esse ipsa corruptio hominis. Quid autem tandem est ista corruptio hominis, nisi ipsamet corrupta natura, præsertim mala mens, & malus animus? Non certè quoddam abstractum aut actionem ibi vox corruptio significat: sed ipsam rem corruptam & perversam, Deoque inimicam & adversam; nempe malam mentem, & malum animum.* Et interjectis quibusdam: *Igitur ipsa natura, corruptissima persona, ac substantia cum suis accidentibus est peccatum.*

Th. V.

Quænam autem & qualis sit justitiæ originalis privatio, nec non quanta sit connata nobis concupiscentia prava, justitiæ illi contrariè ac positivè opposita, tùm demum percipimus pleniùs, ubi quædam originalis justitiæ antithesis instituitur. Opposita enim juxta se posita mutuò se illustrant, & distinctiùs innotescunt.

§. 1. Hinc ipsa *Augustanæ Confessionis Apologia* Art. II. pag. 53. ubi in vetere illa definitione: Peccatum originis est carentia justitiæ originalis, explanandâ occupatur, disertè scribit: *Quid est autem justitia? Scholastici hîc rixantur de Dialecticis quæstionibus, non explicant, quid sit justitia originalis. Porrò justitia in Scripturis continet non tantùm secundam tabulam Decalogi, sed primam quoque, quæ præcipit de timore Dei, de fide, de amore Dei. Ita-*

que justitia originalis habitura erat non solùm æquale temperamentum qualitatum corporis, sed etiam hæc dona, notitiam Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei, aut certè rectitudinem, & vim ista efficiendi. Quod quid est aliud, nisi in homine hanc sapientiam & justitiam effigiatam esse, quæ Deum apprehenderet, & in qua reluceret Deus, hoc est, homini dona esse data, notitiam Dei, timorem Dei, fiduciam erga Deum, & similia? Sic & *Philippus* in Loc. Theol. pag. 107. inquit: *Peccatum originis est carentia justitiæ originalis, debitæ inesse. Sed hæc descriptio brevis & obscura indiget longiore enarratione. Necesse est enim quæri, quid significet justitia originalis.* Et paulò post: *Postquam constitutum est, quid significet justitia originalis, deinde oppositæ privatio utcunque declarari potest.*

§. 2. Pertinet huc, quod B. *Chemnitius* in Loc. Theol. Part. I. Loc. de Peccat. Orig. c. II. p. m. 560. ait: *Antithesis justitiæ originalis illustrat* (peccati originalis) *definitionem.*

Th. VI.

Videlicet sicut originalis justitia ex parte intellectus hominum importabat lucem quandam spiritualem, h. e. perfectionem habitualem, quâ intellectus hominis Deum rectè agnoscere, &, quomodo ipse colendus sit, ac quæcunque ad vitam inculpatè sanctéque instituendam cognitu necessaria erant, perfectè intelligere, nec non objecta divinitùs revelata' assensu firmô amplecti poterat: Ita ori-

originale peccatum in intellectu virium rectè Deum cognoscendi, cultum ejus ac reliquas actiones debitas perfectè præscribendi, resque divinitùs revelatas assensu firmô amplectendi carentiam usque adeò importat, ut mens nostra etiam in his, quæ aliàs lumini naturali subjacent, quoad cognitionem Dei & instituendam vitam valdè obtenebrata sit; atque ex adverso habitualem intellectus nostri pronitatem ad pravas cogitationes, & ad perversa cùm de aliis, tùm præcipuè de spiritualibus rebus judicia ferenda.

§. 1. Ob connatam illam lucis spirituali sprivationem dicitur de hominibus, quòd sint *mente obtenebrati* Eph. IV, 18. *tenebræ* (h. e. valdè obtenebrati, omnique spirituali luce destituti) Eph. V, 8. quódque nec percipiant, nec percipere possint ea, quæ sunt Spiritus Dei (h. e. mysteria, quæ Deus revelavit per Spiritum suum) 1. Cor. II, 14.

§. 2. Ob habitualem intellectui congenitam ad malum propensionem de homine, qualis naturâ est, 1. *Cor.* II, 14. dicitur, quòd *ipsi spiritualia sint stultitia*, h. e. quòd spiritualia judicentur ab eo ut res prorsus stultæ ac absurdæ.

§. 3. Naturalem illam impotentiam, quâ etiam in his, quæ lumini naturæ aliàs subjacent, humanus intellectus laborat, ipse agnovit *Aristoteles*, dum *intellectum animæ nostræ ad res naturâ suâ evidentissimas & clarissimas, uti oculi vespertilionum ad lumen diei, cœcutire* Libr. II. Metaph. c. I. docuit. Ea verò impotentia ex hoc apparet, quòd

intellectus in discurrendo & investigandis rerum naturis, causis, affectionibus, instituendis actionibus, vitaque gubernanda minùs perspicax est, & non rarò principiis naturæ, evidenter cognitis, ineptè utitur, maléque ratiocinandò in opiniones absurdas, impias & scandalosas incidit, cumprimis verò circa Deum, naturâ notum, cognitionem multiplici cum errore conjunctam elicit. Vid. B. *Joh. Musæus* in Tract. de Convers. Disp. IV. cap. I. §. XXV.

§. 4. Non temerè autem impotentia hæc in originalis justitiæ carentiam, atque adeò in peccatum originis refertur. Ea enim *justitia* (uti B. *Mus.* l. c. §. XXVII. loquitur) *primitùs concreata fuit homini, ut animæ facultates non tantùm in iis, quæ supra naturam sunt, sed etiam in rebus, naturali rationi subjectis, intimè perficeret, intellectum quidem ad eas, quantum ad vitæ humanæ perfectionem requireretur, perfectè & sine erroribus cognoscendas, voluntatem autem & appetitum sensitivum ad easdem rationis judicio recto conformiter & sine ullis inordinatis motibus appetendas, amandas, desiderandas &c.* Hinc, illâ ipsâ deperditâ justitiâ, in mente secutæ sunt tenebræ, ut, quicquid luminis supereſt, respectu lucis primitùs concreatæ sit quasi quædam ejus exigua scintilla.

Th. VII.

Ac sicut originalis justitia ex parte voluntatis complectebatur concreatam illam habitualem perfectionem, quâ voluntas Deum

um timebat ac super omnia diligebat, spem & fiduciam plenam in Deo reponebat, legi divinæ perfectam obedientiam præstabat, promtéque ac perfectè eligebat & faciebat omnia, quæ intellectus rectus eligenda ac facienda dictitavit, aversabatur autem & omittebat omnia, quæ intellectus rectè illustratus fugienda & omittenda præscripsit, nec non potentias animæ inferiores rectè gubernabat; ita peccatum originale in voluntate importat non solùm virium illarum omnium carentiam, sed & connatam ad opera peccaminosa propensionem, e. gr. odium Dei habituale (seu propensionem ad Deum fugiendum odioque prosequendum,) contemtum Dei habitualem, diffidentiam erga Deum habitualem, fiduciam rerum temporalium habitualem &c.

§. 1. Illam virium privationem, quam peccatum originis in voluntate importat, *Augustana Confessio* ex parte subinnuit, cùm *Art.* II. in exemplari Latino contendit, *post lapsũ Adæ omnes homines secundùm naturam propagatos nasci cum peccato, hoc est, SINE metu Dei, SINE fiducia erga Deum.* Nam Confessionis illius *Apologia* pag. 50. seq. docet, Germanicam Confessionem, sic scriptam: Weiter wird gelehret/ daß nach dem Fall Adã alle Menschen/ so natürlich gebohren werden/ keine wahre Gottesfurcht/ kein wahren Glauben an GOTT/ von Natur haben können; testari liquidò, quòd Protestantes *non solum actus, sed*

POTENTIAM seu dona efficiendi timorem & fiduciam erga Deum adimant propagatis secundùm carnalem naturam, atque in hanc sententiam Latina (peccati originalis) *descriptio* (in 2do Augustanæ Confessionis articulo expressa) *POTENTIAM naturæ detrahat, hoc est, dona & VIM efficiendi timorem & fiduciam erga Deum.*

§. 2. Tàm privativum, quàm positivum malum, quod originalis labes ex parte voluntatis involvit, *Augustanæ Confessionis Apologia* profitetur, quando non tantùm *pag.* 52. reprehendit eos *Scholasticos Doctores, qui, cùm de peccato originis loqvuntur, graviora vitia humanæ naturæ non commemorant, scilicet ignorationem Dei, contemtum Dei, vacare metu & fiduciâ Dei, odisse judicium Dei, fugere Deum judicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium &c.* verùm etiam pag. 53. monet, Protestantes, cùm *in descriptione peccati originis & concupiscentiæ mentionem fecerunt, & naturalibus viribus hominis timorem & fiduciam erga Deum detraxére, voluisse significare, quòd peccatum originis hos quoqve morbos contineat, ignorationem Dei, contemtum Dei, vacare metu Dei & fiduciâ erga Deum, non posse diligere Deum &c.*

§. 3. Ob connatam illam, cum qua voluntas humana nunc luctatur, privationem homines *Eph.* II, 5. in peccatis mortui dicuntur. Sed (B. *Gerhardo* in Isag. Loc. Theol. Disp. XXIV. cap. III. §. 7. ita docente) ob congenitam voluntatis humanæ ad peccaminosa opera propensionem non solùm homines *Rom.* VI, 13. *peccati servi* appellitantur,

sed

sed & πώρωσις, h. e. *calloſa quædam durities*, quâ ad carnalem ſecuritatem, ad contemtum & odium Dei, ad diffidentiam erga Deum, & fiduciam rerum temporalium propenſi ſunt, *Eph.* IV, 18. ipſis attribuitur.

Th. VIII.

Quemadmodum originalis juſtitia in appetitu ſenſitivo importabat vires recti intellectus dictamini & ſanctæ voluntatis imperio promtè, facilè, ac ſine omni difficultate & luctа obſequendi, atque adeò motus ac affectus inordinatos (quippe quibus bonum à ſenſibus cognitum voluntati & rectæ rationis judicio diſconvenienter appetitur) planè evitandi: ita peccatum originale ex parte illius appetitus non ſolùm congenitam virium iſtarum privationem, ſed & connatam habitualem ad ea, quæ ſenſibus grata ſunt, lege autem divinâ prohibentur, inclinationem complectitur.

§. 1. Congenitum appetitui ſenſitivo tàm privativum, quàm poſitivum malum rectè colligitur ex *Gen.* IIX, 21. ubi omne figmentum cordis humani tantùm malum inde à pueritia eſſe perhibetur. Iſta enim omnium appetitionum pravitas, quæ inde à teneris homini cuicunque ineſt, ſupponit utique connatam appetitui ſenſitivo cùm privativam, tùm poſitivam corruptionem.

§. 2. Speciatim illam, de qua theſis noſtra loquitur, connatam appetitui ſenſitivo privationem

nem subinnuit Apostolus, quando *Rom.* VII, 18. in *carne sua non habitare* bonum, ideoque *bonum, quod velit, se non facere,* docet.

§. 3. Sic & congenitam appetitui sensitivo in objecta sensibus obvia inordinatam inclinationem significat Paulus *Rom.* VII, 23. ubi inquit: *Sed cerno aliam legem in membris meis, belligerantem adversus legem mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Nam per illam in membris corporis tantoperè sese opponentem legem nil aliud, quàm appetitui sensitivo inexistentem, & contra dictamen intellectus recti rebellantem ac insurgentem concupiscentiam intelligit: Quam concupiscentiam *Legem membrorum* per metaphoram dicit, quòd ea sibi jus sumat in membra corporis, hæcque inclinet ac determinet ad peccandum æquè efficaciter, imò efficaciùs, quàm lex præcipiendo bona, & prohibendo mala, ad illa agenda, & ad hæc fugienda voluntatem inclinare & determinare potest.

§. 4. Ipse *Aristoteles* naturalem, eamque pravam appetitus sensitivi inclinationem Libr. I. *Nic.* c. XIII. scitè delineat, dum appetitum sensitivum comparat cum *membris corporis resolutis in paralytico, quæ, cùm moventur dextrorsum, sinistrorsum feruntur.*

Th. IX.

Quemadmodum tandem originalis justitia in membris corporis importavit singularem quandam promtitudinem ad agenda ea, quæ

quæ bona & legi divinæ conformia sunt: ita peccatum originale ex parte membrorum corporis in se involvit non tantùm connatam ineptitudinem & carentiam promtitudinis ad agenda ea, quæ bona sunt, verùm etiam congenitam insignem promtitudinem ad exequenda ea, quæ mala & legi divinæ dissentanea sunt.

§. 1. Originali peccatô ipsa etiam corporis membra infecta esse, B. *Joh. Gerhardus* Isagog. Loc. Theol. Disp. XXIV. cap. V. §. 7. ex eo probat, quòd oculus, manus & pedes hominem scandalizent *Matth.* V, 29. cap. XVIII, 8. quodque peccatum habitet in corpore *Rom.* VI, 12. Sed (quod ad alteram hanc probationem attinet) D. *Georgius Calixtus* in exposit. literal. ad Rom. c. VI. v. 12. ità commentatur: *Haud dicit Apostolus: non sit peccatum in vestro corpore: id enim non datur in hac vita, quamdiu mortale corpus est, sed regnum ibi obtinere non vult, ut nos ei serviamus.*

§. 2. Certum omninò est, Apostolum *Rom.* III, 12. 13. 14. 15. membris corporis connatam promtitudinis ad agendum bonum carentiam, atque è contrario insignem ad faciendum malum congenitam promtitudinem attribuere. Dum enim inter homines, quales naturâ sunt, *non esse intelligentem, non esse requirentem Deum*, v. 11. pronunciavit, atque jamjam v. 13. 14. 15. præcipua corporis membra, ut guttur, lingvam, labia, os, pedes, tanquam peccatô polluta enumeratur9 est, v. 12. omnes simul (atque adeò etiam infantes) inutiles factos esse asserit.

serit. Quô ipsô sanè subinnuit, omnes omninò homines, secundùm communem naturæ cursum progenitos, quà corpus & corporis membra promtitudine ad agendum bonum, adesse debitâ, jam inde ab origine & nativitate sua destitui. Quæ enim membra ad agendum bonum inutilia sunt, seu impotentiam habent, ea minimè pollent debitâ ad faciendum bonum promtitudine. Iisdem quoque membris connatam ad agenda mala insignem promtitudinem tribuit, quando, generaliter de hominibus loquens, versu 14. *gutturi* (quippe quod fœtido sepulchro comparat) *αἰχρολογίαν*, eôdem versu *lingvis* dolos & fraudulentiam, ac *labiis* calumnias (quas cum veneno aspidum contendit,) versu 14. *ori* convitia, versu 14. *pedibus* velocitatem ad effundendum sangvinem, h. e. celeritatem & ingentem promtitudinem ad opprimendos innocentes, assignat. Quocirca B. *Balduinus* Commentar. in cap. III. *Rom.* accuratè scribit: *Sciendum est, loqui Apostolum in hoc catalogo peccatorum, non tantùm de actualibus peccatis, verùm etiam de originali; quod inde patet: quia generaliter loquitur, ne quidem infantes excludens; & de eo loquitur, à quo per gratiam Dei liberamur, & denique quia peccata illa actualia præsupponunt originale tanquam causam: unde liquidò constat, Apostolum sedem peccati originalis non in una saltem parte hominis, sed in toto homine, in intellectu & voluntate, adeoque omnibus facultatibus animæ, OMNIBUSQUE MEMBRIS CORPORIS, collocare.*

Th.

Th. X.

Declaratâ nunc originalis peccati naturâ & essentiâ, causas & effectus peccati illius enarrare convenit.

§. 1. Nam (ut *Philippus Melanchthon* in Loc. præcip. Theol. L. de Pecc. Orig. pag. 117. scitè observat) *hæc causarum & effectuum recitatio studiosos adjuvabit, ut sine perplexitate doctrinam Ecclesiæ de peccato originis intelligant.*

§. 2. Quod & *B. Martinus Chemnitius* eruditè monet, cùm *Loc. Theol. Part. I.* Loc. *de Pecc. Orig.* c. IV. pag. m. 575. scribit: *Quando ordine enumerantur causæ, effectus &c. tunc res ipsæ per partes evolvuntur, & tanqvam in σvνοψει singula accuratiùs inspicienda proponuntur. Facilius etiam corruptelis potest opponi vera sententia, si dextrè & cum judicio per quæstiones methodi ducatur.*

Th. XI.

Peccati originalis, quô Adæ posteri ex virili semine nati polluuntur, causa efficiens propriè dicta sunt Satanas, protoplasti, ac quilibet homines carnaliter generantes.

§. 1. Theseos nostræ veritas oppidò patescet, si priùs constiterit, Satanam, protoplastos, ac quoscunque homines, carnaliter generantes esse peccati originalis, quô Adæ posteri ex virili semine oriundi contaminantur, veras & reales causas.

§. 2.

§. 2. Diabolum esse peccati originalis veram causam, duplici potissimùm ratione comprobatur. Quippe (1) ita argumentamur: *Quicunque mentiendò parentes primos à fide & obsequio Deo debito abstraxit, is fuit peccati originalis vera ac realis causa.* (Protoplasti enim per suam erga Deum inobedientiam ita justitiam originalem amiserunt, ut ea posteris deinde non posset connasci, atque adeò ipsis illis parentibus primis, & inde à nativitate eorum posteris ejusdem illius justitiæ carentia, ac privationi huic succedens concupiscentia adhæreret.) *Atqui Satanas mentiendò parentes primos à fide & obsequio Deo debito abstraxit*; (quod ex *Gen.* III, 1. seqq. liquet. *Ergo &c.* (2) Concludimus hunc in modum: *Quicunque est cædis mortisque totius humani generis causa, is quoque peccati originalis causa fuit*: (Cùm enim testante Apostolò *Rom.* V, 12. per peccatum originis mors in mundum introiverit, nemo mortis in universum humanum genus introductæ causa fieri potuit, nisi esset causa peccati originalis.) *Atqui Diabolus est cædis mortisque totius humani generis causa*: (Nam *Joh.* VIII, 44. Diabolus κατ' ἐξοχὴν homicida vocatur, quòd mortis in universum humanum genus introductæ causa extiterit. *Ergò* &c.

§. 3. *Evam* peccati originalis veram fuisse causam, hôcce ostenditur argumentô: *Si Eva* (ut Gen. III. narratur) *non tantùm immediatè commisit primum in genere humano peccatum, sed & Adamum ad idem illud peccatum abduxit, sequitur, quòd peccati originalis causa fuerit.* Nam primi parentes, cùm

cùm per peccatum primum seu per lapsum sibi juxta & posteris originalem justitiam amiserint, eôdem illo lapsu justitiæ istius defectum, & connexam huic defectui pravam concupiscentiam sibi pariter & posteris attraxére.

§. 4. *Adamum* peccati originalis causam fuisse, vel inde constat, quòd Paulus *Rom.* V, 12. per *unum hominem* (h. e. per unum Adamum) *peccatum* (originis) *in mundum introivisse* testatur.

§. 5. Cæterùm Adam, cùm esset principium generationis activum & causa principalior, *inprimis* fuit causa peccati originalis, quatenus ad singulos propagatum deprehenditur. Hinc *Rom.* V, 12. unus homo, Adam, peccati causa declaratur.

§. 6. Nec difficile est commonstrare, quòd quilibet homines carnaliter generantes sint causa peccati originalis, quô ipsorum proles commaculatur. Nam *peccati originis* (ut B. *Chemnitius* l. c. pag. 576. docet ac loquitur) *propinquâ causa est, quòd in carne singulorum parentum, qui generant, habitat peccatum, & illud contagiô quodam transmittunt in liberos ipsa propagatione carnali.* Atque huc spectat, quod David *Psalm.* LI, 7. ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.*

§. 7. Disputatur autem hîc, an peccatum originis causam sui efficientem propriè dictam agnoscat? B. *Gerhardus* noster Isag. Loc. Theol. Disp. XXV. c. VII. docet, quòd, *sicut peccati origi-*

nalis propriè loquendo causa efficiens non datur, ita quoque non detur ejus finis. Nos salvâ tanti Theologi auctoritate existimamus, peccati originis tàm quoad originalis justitiæ privationem, quàm quoad pravam concupiscentiam spectari, causam efficientem propriè dictam omninò dari. Nam (1) peccati originalis eâ ratione considerati causam meritoriam propriè sic dictam (h. e. causam, quæ intendit effectum, hancque suam intentionem exerit per meritum, quô effectum meretur) in Scripturis Sacris commonstrari, ex sequentibus liquebit. Ast causam meritoriam, eô modô acceptam, propriè esse causam efficientem, cum accuratioribus Doctoribus Metaphysicis (inter quos B. *Velthemius* Instit. Metaph. pag. 1032. & pag. 1149. videatur) *Philippus Melanchthon* & B. *Martinus Chemnitius* docent. Is quippe l. c. pag. 114. scribit: *Causæ efficientes primum lapsum sunt Diabolus, & voluntas Adæ & Evæ, assentiens Diabolo, ac avertens se suâ libertate à mandato Dei. Dicuntur autem & efficientes causæ, quæ merentur aliquid. Sic Adam & Eva sunt causæ efficientes, qui sibi & posteris meriti sunt reatum, & hos ipsos defectus seu pravitatem, quæ lapsum secuta est, excussâ luce.* Hic verò l. c. pag. 576. inquit: *Disputat autem Augustinus: An propriè vocanda sit causa efficiens, cùm magis sit causa deficiens. Quia peccatum non est res positiva. Sed quia Dialecticæ præceptiones adhibendæ sunt, non ut otiosis subtilitatibus res necessariæ obruantur, sed mediocri proprietate illustrentur; rectè ergò dicitur, vocari etiam causas efficientes, quæ merentur aliquid. Duplex est*

ergò

ergò causa efficiens peccati originis. (2) Satanas, protoplasti, hominesque naturaliter generantes, cùm sint totius peccati originalis veræ ac reales causæ, ad certum causæ propriè dictæ genus haud dubiè pertinent. Atqui ad nullum aliud, quàm ad causæ efficientis propriè acceptæ genus eos accuratè referri posse, manifestum est. (3) Omnis causa vera per verã ac realem actionem est vera ac propriè dicta causa efficiens. Ast Diabolus, parentes primi, ac singuli homines carnaliter generantes sunt peccati originis tùm quoad justitiæ originalis carentiam, tùm quoad concupiscentiam pravam spectati vera & realis causa per veram ac realem actionem: Satanas quidem per intentionem directam, &, quæ intentionem illam consequebatur, seductionem & fraudulentam lapsŋ persvasionem; protoplasti per intentionem indirectam, ipsumq; lapsum; ac quilibet homines, quĩ sobolem originali labe coinquinatam progignunt, per ipsam generationem. (4) Ipse B. *Gerhardus* Isag. Loc. Theol. Disp. XII. c. IV. §. 2. profitetur, *lapsum πρωτοπλάςων esse causam originalis contagii non tantùm per modum causæ meritoriæ, nec tantùm per modum removentis prohibens, nec tantùm per modum nudi antecedentis, sed per modum DIRECTE EFFICIENTIS & causantis.*

Th. XII.

Fuit autem Satanas peccati originis causa efficiens moralis, eaque svadens.

§. 1. Dico (1) quòd Satanas fuerit peccati originis causa efficiens *moralis.* Causæ enim moralis notio quandoque in ea accipitur amplitudine,

ut contradistingvatur tantùm causæ physicæ naturalitèr ac necessariò agenti, denotetque omnem causam (sive sit mediata, sive immediata) intendentem, atque aliquid, cujus intuitu ipsi, tanquam veræ causæ, effectus imputatur, conferentem. Vid. *Svarezius* Tom. I. Disp. Metaph. Disp. XVII. sect. II. n. VI. Atqui Satanas peccatum originis directè intendit, ac præter hanc intentionem aliquid, seductionem videlicet protoplastorum, cujus intuitu ipsi tanquam veræ causæ contagium originale imputatur, reapse contulit. Quid? quod Satanas peccati originis causa moralis sit, si vel maximè causæ moralis vocabulum strictè ac rigorosè pro causa efficiente mediata per intentionem sumatur. Intendit enim directè originalem labem, eamque effecit mediantibus parentibus primis, qui ipsô auctore commisêre lapsum, ex quo contagium illud immediatè consecutum est.

§. 2. Dico (2) quòd Satanas fuerit peccati originis causa efficiens moralis, eaque *svadens* (h. e. causa moralis, quæ suam intentionem exerit per svasionem, seu per hoc, quod rationes & motiva, quibus quis ad agendum commoveri possit, adfert.) Satanas enim argumentô ab utili quodam, nimirum à secutura pleniore cum Deo conformitate & excellentiore dignitate, desumtô lapsum, quem peccatum originis secutum est, Evæ commendavit, sicque ipsam, ut delinqueret, induxit.

Th.

Th. XIII.

Protoplasti fuerunt peccati originis, ad posteros translati, pro diverso respectu causa efficiens moralis, & causa efficiens physica: Causa moralis quidem, quatenus (1) omnibus posteris carnaliter natis illam naturæ pravitatem, quæ secuta est lapsum, meriti sunt, (2) quatenus eandem illam corruptionem mediantibus proximis suis liberis ad omnem posteritatem reliquam per generationem naturalem transfuderunt, & sic mali illius causa efficiens mediata libera extitére; causa verò efficiens physica, quatenus labem illam, quam suô sibi lapsu attraxerant, generatione naturali, velut contagiô quôdam, ad liberos suos proximos, e. gr. Cainum, Abelem &c. immediatè propagârunt. Sic & omnes homines, qui post protoplastos generarunt, sunt peccati originis, quatenus ad singulos immediatè genitos propagatum deprehenditur, causa efficiens physica.

§. 1. Hoc ipsum, quòd protoplasti pro diverso respectu fuerint peccati originis causa efficiens moralis & physica, B. *Gerhardus* l. c. haud obscurè docuit, dum scripsit, *lapsam πρωτοπλάστων esse causam originalis contagii non tantùm per modum causæ meritoriæ, sed per modum directè efficientis & causantis.*

§. 2. Nec verò repugnat, unam eandemque rem unius ejusdemque effectus simul esse causam

physicam & causam moralem. Annon enim e. gr. Christus est donorum gratiæ (ut fidei, dilectionis &c.) causa efficiens physica, & moralis diversâ ratione? Sanè causa moralis est, ut Meriti sui virtute & valore infinitô omnia gratiæ dona hominibus acquisivit & promeruit; physica verò, quatenus ipse per Baptismum & Verbum in hominibus fidem accendit, atque dilectionem & virtutes Christianas alias per veram ac realem actionem efficiente producit. Confer. B. *Musæi* Tract. de Eccles. Disp. II. §. IX. X. XII.

Th. XIV.

Protoplasti igitur actu peccati originalis causa fuerunt per *lapsum*, qui, cùm plures actus secundos partim cum lege Dei æterna, partim cum lege divina positiva immediatè pugnantes, ambitu suo comprehenderet, non simplex quædam, sed complexa actio erat.

§. 1. Per lapsum suum protoplastos peccati originis causam extitisse, testatur Scriptura, dum *Rom.* V, 19. διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου (h. e. PER inobedientiam unius hominis) *multos peccatores constitutos esse* asserit. Id ipsum patet ex comminatione divina, quâ Deus primo homini *Gen.* II, 17. dixit: *Quacunque die de arbore vetita comederis, morte morieris.* Illorum enim verborum (ut rectè B. *Gerhardus* Isag. Loc. Theol. Disp. XXIV. c. IV. §. 2. interpretatur) sensus huc redit: *Animæ & corporis mortem tibi & omnibus posteris tuis per*

per peccatum attrahes, ita ut anima, à spirituali vitæ alienata, moriatur in peccatis, corpus morti & prodromis mortis sit subjectum, atque anima simul cum corpore mortis æternæ teneatur rea. Quem sensum jam olim *Augustinus* aperuit, quando Libr. XIII. de Civ. Dei per totum caput duodecimum scribit: *Cum ergò requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent: utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ secunda dicitur: respondendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus: secunda ex omnibus tota. Sicut enim universa terra ex multis terris, & universa ecclesia ex multis constat ecclesiis, sic universa mors ex omnibus: quoniam prima constat ex duabus: una animæ, altera corporis: ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine Deo & corpore ad tempus pœnas luit: secunda verò, ubi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito: Quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini: non tantùm primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur Deo: nec tantùm posteriorem, ubi corpus privatur anima: nec solùm ipsam totam primam, ubi anima & à Deo & à corpore separata punitur: sed quicquid mortis est usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & qua est nulla posterior, comminatio illa complexa est.*

§. 2. Cùm igitur parentes primi *per* lapsum suum *actu* fuerint peccati originis causa efficiens, B. noster *Velthemius* Theol. Memorial. pag. 532. statuit,

tuit, lapsum fuisse protoplastorum, ut causæ efficientis peccati originalis, *causalitatem*, hoc est, rationem formalem, per quam illi labis originalis causa efficiens actu extiterunt. Quod ipsum docent Theologi alii, qui protoplastorum lapsum causam efficientem peccati originalis fuisse inquiunt. Intelligunt enim causam efficientem QUA, cujusmodi causa est causæ efficientis QUÆ aut ratio causandi aut causalitas. Nec verò inauditum atque insolens est, actionem illam, quæ est causalitas, appellare causam efficientem rei: Annon enim e. gr. actio crebra ejusdem speciei causa efficiens virtutis vel vitii nuncupatur? Annon consensus causa efficiens matrimonii à Philosophis pariter & Theologis vocatur?

§. 3. Lapsus autem, per quem parentes primi tàm ineffabile malum in totum humanum genus invexére, varios actus internos, & unum externum complectebatur. Videlicet uti *externus* actus erat comestio de fructu arboris vetitæ; ita actus *interni* externum illum antegressi, qui itidem ad lapsum pertinuére, ex parte intellectus, voluntatis & appetitus sensitivi occurrebant. In *intellectu* erat dubitatio de veritate divinæ comminationis, & mox secuta plenior incredulitas; in *voluntate* sublimitatis ac eminentiæ divinæ affectatio, & natum inde legem Dei positivam transgrediendi propositum; in *appetitu sensitivo* appetitio inordinata objecti sensibus quidem grati, sed prohibiti.

§. 4. Ille ipse lapsus, per quem primi humanæ prosapiæ parentes sibi pariter & universæ posterita-

ritati malum ingens pepererunt, fuit *peccatum non modò extensivè, verùm etiam intensivè, non aliquô duntaxat modô, sed absolutè peccatorum omnium longè maximum & gravissimum.* Vid. B. *Balthasar Meisnerus* Anthropol. Decad. I. Disp. IV. Qv. IV. §. 8. Quæ nostra sententia opposita est cùm *Bellarmino*, qui Libr. III. de *amiss. grat.* cap. X. peccatum primi hominis aliquô modô, non absolutè, peccatorum omnium gravissimum fuisse contendit, tùm *Bonaventuræ*, qui in *Libr. II. dist. 21. art. ult. quæst. ult.* distingvit inter gravitatem intensivam & extensivam, dicitque, peccatum primum *extensivè quidem* fuisse gravissimum, quia totum genus humanum contaminaverit, *non tamen intensivè* & ratione actus, quia reperiantur peccata, in quibus major sit malignitas, ut directum Dei odium, peccatum in Spiritum Sanctum, & blasphemia nominis divini. Nostram autem thesin hôcce probamus argumentô: *Quodcunque peccatum ita comparatum est, ut (1) Deum, proximum, ipsamque peccantis personam atrocissimè lædat, (2) adversus Deum ab eo, qui maximis & quàm plurimis beneficiis divinitùs jam erat ornatus, directè committatur, (3) præceptum Dei observatu facillimum violet, (4) sit summè voluntarium, (5) patretur ab eo, qui multa habet, quæ à peccando abstrahant, (6) quàm plurimis noceat, (7) à Deo gravissimè puniatur; illud est peccatum peccatorum omnium absolutè & in se gravissimum. Atqui peccatum primi hominis ita comparatum est, ut (1) Deum, proximum, &c. Ergò peccatum primi hominis est peccatum peccatorum*

omnium absolutè & in se gravissimum. Major propositio per se manifesta est. Quam evidentiam vel ex aliquibus membris elucentem *Augustinus*, Libr. XIV. de Civit. Dei cap. XV. prædicat, cùm scribit: *Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à creatore facilis imperata, quisnam satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?* Spectat quoque ad illustrandam majoris propositionis evidentiam, quod *Aristoteles* Libr. VII. Nic. cap. VI. eum, qui à motu concupiscente aut non tentatus, aut leviter tentatus quærit enormes voluptates, aut mediocria incommoda defugit, minus temperantem, quàm hunc, qui vehementi affectu conturbatur, appellitat, ac porrò disertè scribit: *Quid idem ille facturus fuisse putandus est, si adfuisset juvenilis quædam perturbatio animi aut gravis dolor ex penuria eorum, quibus negatis natura deleat?* Atque huc pertinet, quod *Grotius* Libr. II. de Jur. Bell. & Pac. c. XX. §. 31. ait: *Omninò illud tenendum, quò animi eligentis judicium magis impeditur, quoque magis naturalibus causis, eo, quod delinquitur, minoris esse.* Quod autem ad minorem argumenti nostri propositionem attinet, omnia & singula ejus membra nunc demonstranda veniunt. Videlicet (1) primi hominis peccatum Deum, proximum, ipsumque peccantis personam atrocissimè læsit, quia protoplasti veritati Æterni Numinis detrahebant, Deum jubentem contemnebant, deserebant, ac mendacii insimulabant, se Deo pares concupiscebant, ac divinam æqua-

æqualitatem violenter sibi rapere conabantur, seque & omnes suos posteros unà secum in æternam perniciem præcipitabant. (2) Protoplastorum lapsus adversus Deum ab iis, qui maximis & quàm plurimis beneficiis divinitùs jam erant ornati, directè committebatur, cùm primus homo summâ felicitate in paradiso frueretur, maximô ad eam cognoscendam lumine polleret, nullâ ipsius ignorantiâ laboraret, nullas consolationibus admixtas tribulationes, nulla beneficiis annexa flagella experiretur. Egregiè *Augustinus* Libr. XIV. de Civ. Dei c. XV. inquit: *Quia ergò contemtus est Deus jubens, qui hominem creaverat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalibus præposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam salutisque præstiterat, &c. justa damnatio subsecuta est.* (3) Idem ille lapsus ultimò transgrediebatur præceptum observatu facillimum. Quàm facilè enim primi homines esu vetito in tanta aliorum fructuum varietate ac ubertate abstinere potuissent? Scitè *Augustinus* Libr. XIV. de Civ. D. c. XII. *Hoc itaq;*, inquit, *de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia subjacebat, tàm leve præceptum ad observandum, tàm breve ad memoriâ retinendum, ubi præsertim nondum voluntati cupiditas resistebat, quod de pœna transgressionis posteà subsecutum est, tantò majore injustitia violatum est, quantò facilior posset observantia custodiri.* Quò pertinet, quod laudatus antistes capite subsequente XV. scribit: *Quia ergò contemtus est Deus jubens, qui hominem præceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus one-*

oneraverat, sed uno brevissimo atque levissimo ad obedientiæ salubritatem adminiculatus fuerat, quo super eam creaturam, cui libera servitus expediret, se esse Dominum commonebat, justa damnatio subsecuta est. (4) Id ipsum peccatum fuit summè voluntarium, cùm *nulla* (ut *Augustinus* loquitur) *voluntati cupiditas resisteret*, hoc est, Adamus nullam haberet vel ad malum propensionem, vel difficultatem ad bonum, atque adeò summâ facilitate quamlibet tentationem propulsare, & peccatum nullô labore vitare posset. Eruditè *Augustinus* Libr. XIV. de Civ. D. c. XV. inquit: *Si quis hujusmodi damnationem* (quâ primus homo damnatus est) *vel nimiam, vel injustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia, ut occideret filium, res difficillima est imperata: ita & in paradiso tantò major inobedientia fuit, quantò id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit.* (5) Primi hominis peccatum patrabatur ab eo, qui multa habebat, quæ ad servandum Dei mandatum impellerent. Nec enim Adamum Dei jubentis auctoritas, & gravissimæ pœnæ transgressori destinatæ latebant. (6) Peccatum illud quàm plurimis nocuit, cùm universum genus hominum damnationi addixerit. *Quantò magis* (ait *Augustinus* Libr. XXI. de Civ. Dei cap. XII.) *homo fruebatur Deo, tantò majore impietate dereliquit Deum, & factus est malô dignus æternô, qui hoc in se perimit bonum, quod esse posset æternum. Hinc est universa generis humani massa da-*

damnata, quoniam qui hoc primitùs admisit, cum ea, quæ in illo fuerat radicata, suâ stirpe punitus est, ut nullus ab hoc justo debitoque supplicio, nisi misericordiâ & indebita gratia, liberetur, atque ita dispertiatur genus humanum, ut in quibusdam demonstretur, quid valeat misericors gratia, in cæteris, quid justa vindicta. (7) Id ipsum peccatum gravissimâ pœnâ, nempe tot tantorumque bonorum amissione, & tot tantisque malis corporis & animæ subjacendi necessitate, mulctatum fuit. *Quia ergò* (scribit *Augustinus* Libr. XIV. de Civ. D. cap. XV.) *contemtus est Deus jubens - - justa damnatio subsecuta est: talis quidem damnatio, ut homo, qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritualis, fieret etiam carnalis: & quia sua superbia sibi placuerat, Dei justitia sibi donaretur: nec sicut affectabat, in sua esset omnimoda potestate, sed à seipso quoque dissentiens, sub illo, cui peccando consensit, pro libertate, quam concupiverat, duram miseramque ageret servitutem, mortuus spiritu volens, & corpore moriturus invitus: etiam æternâ, nisi gratia liberaret, morte damnatus.*

§. 5. *Bellarminus* verò, ut evincat, peccatum primi hominis non fuisse peccatum peccatorum omnium absolutè gravissimum, Libr. III. de amiss. grat. c. X. scribit: *Quòd peccatum primi hominis non fuerit omnium peccatorum absolutè gravissimum, facile probari potest. Illud enim peccatum absolutè dicitur gravius, quod secundum speciem suam est gravius, illud absolutè gravissimum, quod secundum speciem suam est gravissimum. Illud autem secundum spe-*

speciem suam est gravius, cujus objectum majori bono contrarium est; & ideò cum nihil sit amori Dei præferendum, nullaque sit virtus charitate præstantior, efficitur, ut nihil sit in malis deterius odiô Dei. Porrò peccatum primi hominis non fuit propriè odium Dei, sed superbia, inobedientia, infidelitas, quæ non charitati, sed humilitati, obedientiæ ac fidei propriè opponuntur. Sed resp. (1) Non liquet, quid *Bellarminus* velit, quando inquit: *Illud peccatum secundùm speciem suam est gravius, cujus objectum majori bono contrarium est; & ideò cum nihil sit amori Dei præferendum, nullaque sit virtus charitate præstantior, efficitur, ut nihil sit in malis deterius odiô Dei.* Nec enim apparet, quomodo odii, quô Deum impius prosequitur, objectum majori bono contrarium sit: Hoc enim objectum est ipse Deus, quô nil majus, nihil excellentius cogitari potest. Respond. (2) Lapsus πρωτοπλάστων etiam aliquod Dei odium importavit. Ubi enim incredulitas animo obrepsit, ibi sincerus erga Deum amor locum haud invenit. Ac postquam primi homines Deum sub ratione alicujus mali, nempe ut falsô loquentem, majorisque excellentiæ bonum homini invidentem, conceperant, eum aliquâ ratione aversari cœpére: quæ aversatio utique est directum Dei odium. Hinc B. *Meisnerus* in Anthrop. Decad. I. Disp. IV. cap. IV. §. 4. ait: *Peccatum primum intenditur, si cogitetur, quòd omnia omninò Decalogi præcepta fuerint violata, neque possit fermè nominari peccatum, quod ibi non concurrit, ita quidem ut primis la-*

lapsus non immeritò farrago & colluvies omnium peccatorum queat appellari.

§. 6. Quando porrò contra sententiam nostram objicitur, *reperiri peccata, in quibus major, quàm in protoplastorum lapsu, sit malignitas, ut directum Dei edictum, peccatum in Spiritum Sanctum, & blasphemiam nominis divini*; respondemus nos (α) protoplastos quoque, cùm mandatum divinum pro vero non habentes veritati Numinis detraxerint, Deumque mendacii insimulârint, in Deum Optimum Maximum omninò blasphemos fuisse: Respondemus (β) peccatum in Spiritum Sanctum per se & ex sua natura irremissibile esse, non quòd in se & secundùm speciem suam omnibus peccatis aliis gravius sit, sed quòd per se & vi suæ formæ pœnitentiam, sine qua peccatorum venia haud obtinetur, finaliter excludat.

§. 7. Constat & liquidò ex hactenus dictis, immane quantum hallucinari *Thomam*, qui 2. 2. quæst. 163. art. 3. ad 2. docet, *magnitudinem pœnæ, quæ consecuta est, non respondisse peccato Adami secundùm quantitatem propriæ speciei, sed in quantum fuit primum, quia ex hoc interrupta est innocentia primi status, quâ subtractâ deordinata est tota natura humana.* Quod si enim protoplastorum lapsus fuit peccatum in se, secundùm speciem suam & absolutè peccatorum omnium gravissimum, profectò pœnæ, quæ consecuta est, magnitudo Adami peccato secundùm propriæ speciei quantitatem respondit.

§. 8.

§. 8. Illius autem graviſſimi peccati, quod tot ac tantæ pœnæ jure meritóque conſecutæ ſunt, cauſa cùm intra, tùm extra primos homines deprehenditur. Extra eos erat Satanas, naturali ſerpente tanquam inſtrumentô abuſus. Hic enim partim protoplaſtos inviſibiliter & internis ſuggeſtionibus, partim Evam viſibiliter, & ſub naturalis ſerpentis, quem obſidebat, forma ad violandam divinam legem ſolicitavit. Intra primos homines erat propria eorum, Diabolo ſpontè aſſentientium voluntas. Hæc enim quamvis à Deo eſſet creata cum naturali ad bonum propenſione, attamen libera erat, & facultatem habebat à bono ſeſe avertendi. Vid. B. *Meisnerus* l. c. Qv. II. §. 38. Judicet verò æqui judicii lector, an accuratè doceant, qui *cauſam lapſus internam* ſolum hominem fuiſſe aſſerunt. Certè ut per cauſam lapſus extrinſecam Theologi cauſam lapſus intra protoplaſtos conſtitutam intelligunt, ita *cauſæ* lapſus *internæ* nomine cauſam ejus extra primos homines occurrentem indigitant. At verò protoplaſtos intra protoplaſtos conſtitui quis dixerit?

§. 9. Cæterùm coorta hîc eſt diſputatio de plurium illorum *internorum actuum*, quos lapſus Adamiticus ambitu ſuô includit, *ordine*, h. e. quisnam inter eos omnium primus extiterit. Nos, etſi non ignoremus, Scholaſticos veteres complures, & Jeſuitas pugnare pro ſuperbia, *Lutherum* verò, ſententiam amplexum contrariam, *dubitationi de mandato divino*, vel uno verbo, *infidelitati* primum locum aſſignâſſe, atque B. *Meisnerum* l. c.

Quæſt.

Quæst. III. §. 4. seqq. pro Lutheri opinione contra Bellarminum argumenta varia in medium attulisse, superiùs tamen in Partis Primæ Loco IV. pag. 830. *Augustino*, *Davidi Chytræo*, *Jacobo Thomasio*, qui superbiam, quæ æqualitatem divinam concupiverit, primum hominis primi actum peccaminosum fuisse statuunt, adstipulati sumus. Nam (1) non apparet nobis, quâ ratione protoplastorum intellectus, qui tàm excellenti sapientiæ primævæ lumine collustratus, & in se potentia operandi necessaria erat, mandatum divinum pro falso habere, contrà verò Diaboli mendacium ac πρῶτον ψεῦδος, quòd fructus arboris vetitæ homines Deo æquales efficiat, ut assertum verum admittere potuerit, nisi ipsorum voluntas priùs infici se venenô superbiæ passa esset, suoque imperio intellectum ad dissensum asserto divino adhibendum, & ad assensum dictis Satanicis præbendum determinâsset. (2) Cùm intellectus formaliter & in se omni libertate à necessitate destitutus sit, lapsus protoplastorum absolutè non fuisset actus liberrimus, nisi voluntas prius, quàm intellectus, peccâsset, suoque imperio intellectum ad incredulitatem movisset. (3) Theologi nostrates communiter docent, causam lapsus intrinsecam fuisse voluntatem hominis Diabolo sponte assentientis. Ast si intellectus priùs de veritate & sinceritate Verbi Divini dubitâsset, ac Diabolo credidisset, quàm voluntas deliquit, séque damnabili illô fastu abripi passa est, sanè intellectus, ejusque vitiosus actus magis, quàm

voluntas, defectionis totius radix, unde omnes reliqui peccaminosi actus emerserint, extitisset.

§. 10. *Augustinus* verò, cui suffragamur hîc, sententiam suam, quam alibi quoque enunciavit, perspicuè declarat, inprimis capite decimo tertio Libri XIV. de Civitate Dei. Ibi quippe antistes ait: *In occulto autem* (primi parentes) *mali esse cœperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perveniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est: quid est autem superbia, nisi perversæ celsitudinis appetitus?* Et quibusdam interjectis: *Manifesto ergo apertóque peccato, ubi factum est, quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi ipsi placere cœpisset.* Idem docet ex nostratibus *Chytræus*, quando in cap. III. Gen. fol. 48. 49. scribit: *Probabilis & communis Ecclesiæ sententia est, eos* (Angelos) *superbiâ & ambitione ad peccatum impulsos esse, sicut primos parentes eâdem lue ambitionis infectos in lapsum præcipitârunt.* Disertiùs nostram sententiam in præfationibus sub auspicia disputationum suarum recitatis, præfatione LXXX. (cujus argumentum est *Primi in Paradiso falsi mater Superbia*) B. *Jacobus Thomasius* tradit.

§. 11. Si quis autem ob eam, quæ nobis collibuit, sententiam nos aggressus fuerit, ac velut alicujus cum Bellarmino contra Lutherum conspirationis insimulaverit, eum pensitare jubemus, quod

quod B. *Meisnerus* & B. *Scherzerus* de tota quæstione pronunciant. *Meisnerus* quippe l. c. §. IV. *Hæc*, inquit, *quæstio non est de fide, sed duntaxat circa fidem, ita, ut fortasse tutius sit, eam in dubio relinqvere, quàm scrupulosè discutere. Scherzerus* verò in System. Loc. VII. §. III. ait: *Quale fuerit primum inter homines peccatum, videtur otiosè quæri. Sufficit enim eos peccâsse, quod posteri satis, proh dolor! experimur.*

§. 12. Id certum omninò est, quòd nec opus nec consultum sit, ut tandem subtiliùs disputetur: Quomodo, salvâ Dei justitiâ, primi parentes lapsu suô absolutè gravissimo, suaque incomparabili culpâ efficere potuerint, ut omnes posteri, exceptô Christô, justitiæ originalis expertes & peccatores concipiantur ac nascantur? Non enim necesse est, ut in ostendenda actuum divinorum justitia τὸ quomodo à nobis determinetur; sed sufficit, si Deus, qui justus est immutabiliter, sese hôc modô agere testetur, & manifesta ac sole clarior repugnantia in ordine ad infinitam & immutabilem justitiam aut sanctitatem ejus non appareat: prout aliàs in disputationibus cum Antitrinitariis & Reformatis in assertionibus veracissimi ac supremi Numinis acquiescimus, & quæ pertinent ad essentiam & personas, itemque ad potentiam divinam, simplici fide amplectimur, licet quomodo illa se habeant, aut habere possint, planè penetrare ac definire nequeamus.

Th. XV.

Deus autem lapsus Adamitici, atque adeò pravitatis originalis, quæ lapsu illô secutô consecuta est, causa efficiens & auctor nullâ ratione dici potest.

§. 1. Si enim Deus (1) lapsum nullâ ratione voluit, (2) sufficientes vires eum prorsus evitandi primis hominibus concessit, (3) ad majus contra eum auxilium surrogandum obligatus non fuit; sequitur, Deum lapsus, & lapsum consecutæ pravitatis originalis causam efficientem & auctorem nullâ ratione dici posse. Consequentia hujus argumenti vel ex eo manifesta est, quòd, quicquid Deus efficit, illud velit ac intendat efficere, nec producat quicquam, de quo antè non cogitaverat. Antecedentis autem, quô argumentum nostrum constat, membrum primum exinde liquet, quòd Deus nullam iniquitatem velit *Psalm.* V, 5. adeóque nec primam voluerit. Alterum membrum ex eo patet, quòd homo per imaginem Dei divinitùs collatam omnia peccata vitare potuerit. Tertium tandem membrum exinde probatur, quòd Deus ad majus contra lapsum auxilium surrogandum ex pacto se non obligaverit, & naturaliter ad hoc tàm non obligatus fuerit, quàm non obligatus erat homini primo naturam angelicam largiri. Vid. B. *Scherzerus* in enucl. Breviar. Hülsem. pag. 268.

§. 2. Errant igitur immane quantum *Calvinus*, ejusque asseclæ, qui primos homines *Deô sic vo-*

volente ac decernente, Satanam ad seducendum instigante, & voluntatem protoplastorum ad lapsum internè impellente, lapsos esse contendunt.

§. 3. Nullius certè valoris est objectio illa Calvinistica: *Lapsus est Adam aut Deo volente, aut nolente. Non hoc, quia Deò invitò nihil fit, cùm sit omnipotens. E. illud.* Adamum enim lapsum esse Deo peccatum istud aversante ac positivè nolente, seu *contra* Sanctissimi Numinis voluntatem deliquisse, argumentis liquidissimis comprobatur. Nam (1) Deus lapsum severissimè interdixit: At verò quod contra superioris, qui sanctitate ac justitiâ eminet, interdictum seu negativum præceptum patratur, id superiore illô invitô ac reluctante, seu contra ipsius voluntatem committitur, cùm omne præceptum seu mandatum per se ac suapte natura importet voluntatem mandantis, & quidem præceptum affirmativum voluntatem, quâ superior hoc vel illud vult fieri, præceptum autem negativum voluntatem, quâ superior hoc vel illud vult non-fieri. (2) Deus lapsum, etiam antequam fieret, odio habuit, cùm propter eum protoplastis gravissimè sit indignatus: Quodcunque autem facinus semper ac constanter, etiam priusquam fit, aversor & odio habeo, id, quando fit, me invitô seu contra meam voluntatem contingit. Cæterùm negamus planè, quòd (uti *Calviniani* contendunt) Deô invitô (h. e. contra voluntatem Dei) ideò nihil fiat, quia est omnipotens. Multa enim fiunt contra voluntatem Dei *ordinatam*, quippe quam, quò minus reapse rem volitam non consequatur,

impediri posse, in Parte primâ hujus Systematis, Loc. II. pag. 678. seq. demonstratum dedimus. Nec verò per hoc, quod voluntas Dei ordinata sæpe non impleri dicitur, sed multa contra eam fieri perhibentur, omnipotentiæ divinæ quicquam detrahimus. Deus enim est ac manet omniscius, etiamsi non fiat id, quod ipse fieri vult voluntate ordinatâ. Quando enim non præstatur, quod Deus voluntate ordinatâ vult, hoc non est adscribendum defectui cuidam ex parte divinæ potentiæ deprehenso, verùm ex eo evenit, quòd Deus illud, quod isthâc ratione vult, non nisi per potentiam ad causarum secundarum concursum, qui deficere aut impediri potest, liberè alligatam efficiendum velit.

§. 4. Ex dictis nemo non animadvertit, nobis haud placere responsionem, quam ad objectionem à nobis jam subversam B. *Meisnerus* in Anthrop. Dec. I. Disp. IV. Qv. II. §. XI. hisce conceptis verbis dedit: *Resp. Non Deo volente, vel nolente, sed non volente fiunt mala, quemadmodum ex Patrum scriptis concludit Lombardus l. 1. sent. dist. 49. lit. F. Est ergò insufficiens partium enumeratio in antecedente* (argumenti Calviniistici.) *Nam & Philosophus ipse l. 3. Ethic. c. 1. inter ἑκούσιον & βίαιον ponit actiones μιχθὰς vel intermedias. Proinde dicimus, lapsum Adami non Deo volente, neque nolente aut reluctante, sed non volente, non approbante contigisse.* Huic, inquam, responsioni Meisnerianæ minimè applaudimus. Etsi enim *Aristoteles* Libr. III. Nic. c. II. ejusque eruditissimus interpres *Andronicus Rhodius* in-

inter actionem ἑκούσιον (spontaneam seu voluntariam) & inter actionem ἀκούσιον (h. e. involuntariam) velut mediam ponant actionem οὐχ ἑκούσιον (h. e. non-voluntariam,) atque e. gr. actionem, quam quis per ignorantiam ita committit, ut ex ipsa dolore non afficiatur, nec voluntariam, nec involuntariam, sed non-voluntariam esse (seu nec secundùm, nec contra, sed præter agentis voluntatem fieri) scitè doceant, ea tamen distinctio huc non potest ita applicari, ut lapsus Adamiticus neque secundùm, neque contra Dei voluntatem, sed tantummodò præter eam contigisse dicatur. Ille enim lapsus non tantùm præter, sed & contra Dei voluntatem, seu non solùm Deo non-volente, verùm etiam positivè nolente, gravissimisque interdictis & comminationibus reluctante, commissus est.

Th. XVI.

Finis (seu *causa finalis*) peccati originalis ex parte Satanæ (h. e. id, propter quod efficiendum & consequendum Diabolus labis originalis causa efficiens fuit) erat cùm inexplebilis erga Deum & homines odii qualiscunque expletio, tùm regni infernalis amplificatio: Finis autem ejusdem peccati ex parte protoplastorum (h. e. illud, quod primi humanæ prosapiæ parentes directè intendebant, cùm laberentur, & suô hôc lapsu mali originalis contagium in humanum genus inveherent,)

erat plenior cum Deo conformitas & excellentior dignitas.

§. 1. Nonnullorum Theologorûm sententiam, quòd *peccati* (atque adeò etiam peccati originalis) *finis propriè nullus sit, cùm finis propriè dictus non sit nisi rei bonæ*, in Loco Theol. proximè antecedente, & quidem §. III. ad Thes. XXIII. modestè examinavimus.

§. 2. Cæterùm *Philippus Melanchthon* peccati originalis finem causamque finalem profitetur ac docet, dum in Loc. de Pecc. Orig. pag. m. 116. seq. perspicuè scribit: *De finali causa hoc loco cùm dicitur, pœnæ recensendæ sunt, & effectus. Pœna peccati originis sunt, mors corporis & aliæ ingentes calamitates, quæ ex humana ignorantia & omnium virium fragilitate oriuntur; Item, ira Dei & æterna damnatio.* Quæ sanè mala, à *Melanchthone* hîc recensita, ad Satanici adversus homines odii inexplebilis qualemcunque expletionem ultimò pertinent. Satanas enim peccati originalis causa efficiens eô fine existebat, ut homo malis illis, quæ ex peccato originali proficiscuntur, opprimeretur, atque hac ratione Satanicum adversus homines odium qualitercunque expleretur.

Th. XVII.

Peccati originalis materiam *ex qua* nec ratione eductionis, nec ratione compositionis dari, atque adeò nullam planè peccati illius esse materiam *ex qua*, ex Loco liquet proximè præcedente, ubi ad Th. XXV. nullius peccati ma-

materiam ex qua, sive ratione compositionis, sive ratione eductionis sic dictam, statui debere evicimus.

Th. XVIII.

Peccati originalis materia *in qua* seu *subjectum* sunt omnes omninò homines ex parentibus primis per carnalem generationem descendentes; & suo modo ipsi illi primi parentes.

§. 1. Per peccati originalis materiam in qua, seu subjectum intelligitur id, in quo originale peccatum per se ac ratione sui spectatum deprehenditur.

§. 2. Quæstionis de peccati originalis subjecto tractationem in Theologia omninò necessariam esse, B. *Chemnitius* monet, cùm Loc. Theol. Part. I. Loc. de Pecc. Orig. c. IV. p. m. 581. ait: *Secunda quæstio est de SUBJECTO* (peccati originalis.) *Et hæc quæstio est una ex illis, quæ hoc nostrô tempore in controversiam venerunt, cujus explicatio omninò necessaria est ad tuendum sanum intellectum doctrinæ hujus articuli.* Id ipsum observavit *Melanchthon*, quando in Loc. de Pecc. Orig. pag. 114. scripsit: *Locô morbi, seu subjectô monstratô, quod vocant materiam in qua, propiùs aspici malum potest.*

§. 3. Omnes omninò homines ab Adamo per carnalem generationem descendentes, nemine prorsus exceptô, peccatô originis inquinari, sub initium ferè hujus Loci, ubi Thesis tertia demonstrata est, ex Epist. ad Rom. c. V. v. 12. & Jobi cap.

XIV. v. 14. probatum dedimus. *Illa* quippe sacrarum literarum *testimonia generalia sunt, nullam indicantia exceptionem;* prout ex ipsis Pontificiis *Estius* 3. Dist. III. §. 3. docet ac loquitur. Atqui excipere non debemus, ubi jus non excipit c. *quoniam* 2. *extra de Conjug. leprof.* nec ullius naturaliter geniti hominis exceptio (quæ tamen, cùm facti sit, ab excipiente probrai solidè debebat) ullô idoneô argumentô comprobari potest.

§. 4. Quô sensu originale peccatum primis parentibus adhæsisse dicatur, non est difficile explicatu. Scilicet peccatum originis, si consideretur *formaliter* (h. e. in sensu composito,) quatenus nempe est originale, h. e. homini ab origine naturæ ejus, atque ab ipsius initio existendi adest, primis parentibus tribui nequit; si verò sumatur *materialiter* seu in sensu diviso, h. e. si accipiatur pro corruptione ac labe illa, quam in omni Adæ posteritate peccatum originis appellamus, nimirum pro justitiæ originalis carentia & prava concupiscentia, post lapsum utique protoplastis adhæsit. Uti enim primi parentes cum justitia originali & sine habituali ad malum propensione à Deo conditi sunt: ita lapsu suô sibi, omnique suæ posteritati carnaliter genitæ defectum justitiæ originalis pravamque concupiscentiam attraxére.

§. 5. Studiô in thesi nostra loquimur de hominibus ab Adamo *per carnalem generationem* descendentibus. Sic enim Christum, quippe qui carnaliter genitus non est, de eorum, qui originali peccatô commaculantur, classe eximimus,

Sa-

Sacram secuti Scripturam, quæ de Christo perhibet, quòd sit *sanctus*, *à malo alienus*, *impollutus*, *segregatus à peccatoribus*, Ebr. VII, 26. & *absque omni peccato*, Joh. VIII, 46. Esai. LIII, 6. 1. Petr. II, 22. 2. Cor. V, 21.

§. 6. Quod si igitur omnes omninò homines, ex primis parentibus per carnalem generationem descendentes, peccati originalis macula fœdat, sanè nec Maria ἡ Θεοτόκος à labe isthac immunis, sed in peccato concepta fuit: Nam hæc quoque ab Adamo per generationem carnalem orianda est.

§. 7. Decertamus hîc inprimis contra multos in Papatu Doctores. Quippe Franciscani monachi, Jesuitæ, ac integræ Academiæ (juratas immaculatæ sese appellantes) videlicet Colonienſis ac Moguntina (apud *Surium* de rebus memorab. ann. 1051.) Parisiensis (apud *Petrum Canis.* L. I. de virg. Deipara c. VIII.) Salmanticana, Toletana, Complutensis, Cæsar-Augustana, Tarraconensis, Barcinonensis, Hispalensis, Valentina, & aliæ per Hispaniam (apud *Barbos.* ad Sess. V. Concil. Trid. & *Balthas. Porenn.* in cap. XXIIX.) nec non (quæ apud *Christophorum Vegam* Jesuitam Theol. Marian. Palæstr. III. annô 1647. solenniſſimô ritu commemoratis Universitatibus suffragata est) Viennensis, negant ac pernegant, Mariam in & cum peccato fuisse conceptam, seu peccatô originis contaminatam. Quam sententiam universæ Academiæ tàm pertinaciter ac mordicus tuentur, ut ei Doctores suos impositô juramentô adstringant. Academia enim *Parisiensis*, *Canisio* l. c. fol. 7. testante, in ordi-

dinem Theologorum cooptari neminem sinit, nisi sanctè jurantem, *se in asserenda Virginis matris illibata conceptione constanter perseveraturum.* Sic & *Hispanicæ* academiæ (quod *Christophorus Vega* l. c. n. 447. narrat) adamantinô jam olim sancitô statuerunt, neminem ad capessenda academici honoris insignia admittere, *qui non priùs dictô sacramentô polliceretur, ex singulari in Virginem affectu se immaculatam ejusdem conceptionem asserturum, & pro virili propugnaturum.* Nec non in *Moguntina* Universitate (ut *Surius* in comm. rerum gestar. p. m. 20. refert) nulli promoventur in Doctores Theologiæ, *nisi jurejurando se immaculatam Virginis conceptionem credere affirment, atque hoc dogma se defensuros promittant.* In *Viennensi* item academia (ut *Vega* Theol. Mar. Palæstr. III. n. 443. seqq. memorat) peculiari statuto cautum est, ut *nemo in posterum ad gradum Baccalaureatus, Magisterii vel Doctoratus, aut alibi promotus in aliquam Facultatem recipiatur, nec ad Professuram, vel Consessum Consistorii admittatur, nisi priùs ad manus Reverendissimi Dn. Cancellarii Academici juramentum præstiterit, se velle tenere & asserere immaculatam Mariæ conceptionem, donec aliter à Sede Apostolica fuerit definitum.*

§. 8. Tanto antagonistarum agmini præter asserta illa sacrarum literarum absolutè universalia, quæ omnes carnali generatione ex Adamo propagatos, peccato originali obnoxios nasci pronunciant, opponimus porrò ea Sacræ Scripturæ testimonia, quæ *Christum omnium omninô hominum*

Re-

Redemtorem esse tradunt. Argumentamur videlicet hunc in modum: *Si Mariam redemit Christus, sequitur, quòd Maria peccato originali contaminata fuerit.* Antecedens hujus argumenti patet ex 1. *Tim.* IV, 10. ubi Christus redemtor omnium hominum esse perhibetur, nec non ex 2. *Cor.* V, 15. ubi Christus pro omnibus mortuus dicitur, itemque ex 1. *Joh.* II, 2. ubi Christus propitiatio pro totius mundi peccatis vocatur. Certè enim si Christus juxta Scripturas Sacras est omnium hominum Redemtor, Mariam quoque redemisse credendus est, cùm, ubi Scriptura non distingvit, nec nos distingvere debeamus. Hinc ipse Jesuita *Bellarminus* Libr. IV. de Amiss. Grat. c. XVI. scribit: *Inter Catholicos convenit, B. Virginem per Christi sangvinem verè fuisse redemtam, & quod Apostolus ait*: Christus pro omnibus mortuus est 2. Cor. V. *sine ulla exceptione esse accipiendum.* Consequentia allati nostri argumenti valdè manifesta est. Christus enim non potuisset redimere Mariam, nisi ea fuisset peccati nexu vinculisque constricta: Solum enim peccatum, &, quicquid ex peccato sequitur, ira Dei, maledictio legis, potestas Satanæ &c. est id, à quo Christus nos redemit. Quod si autem Maria peccato obnoxia fuit, profectò peccatô originali laboravit. Si enim peccatum actuale, non autem originale Mariæ fortè attribueris, tibimet contradices. Nam *ubi sunt peccata actualia, ibi etiam est originale, cùm illa sint hujus soboles exceptis primis parentibus, in quibus actuale peccatum præcesserit originale*: Quod est B. nostri *Gerhardi* in Confess. Ca-

Cathol. Libr. II. Part. III. art. XXI. c. IV. comprehensum assertum, à Franciscanis, Jesuitis, & omnibus aliis, qui immaculatam Virginis conceptionem tradunt, Doctoribus Pontificiis haud dubiè concessum, quippe qui omnes, cùm B. Virginem peccato originali semper caruisse statuant, eam ab omni omninò peccato immunem fuisse contendunt. Speciatim *Bellarminus* illam ipsam B. Gerhardi observationem Libr. IV. de amiss. grat. c. XV. amplectitur, dum, postquam asseruit, non temerè, sed piè ac rectè existimari, B. Virginem Mariam singulari Dei privilegiô ab *omni omninò peccato* fuisse *immunem*, quibusdam interjectis collaudat *Augustini* sententiam, quæ *neminem, qui habuit peccatum originale, sine peccato actuali vivere ait.* De cætero argumenti nostri consequentiam è vetustioribus Doctoribus Papistis benè perspexit *Thomas*, dum 1. 2. q. 81. art. 3. ita scripsit: *Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quòd omnes homines, præter solum Christum, ex Adamo derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt, alioquin non omnes indigerent redemtione, quæ est per Christum, quod est erroneum.*

§. 9. Argumenti nostri consequentiam ex recentioribus *Scoti* sequacibus negavit *Dionysius Werlensis*, tunc temporis Hannoveranus, qui in scripto, quod vocatur *Philanthon s. Animadversio*, contra Conringium de *Antonio Paduano* anno 1676. edit. pag. 109. docet, *Mariam, etiamsi absque peccato Orig. sit concepta, nihilominus verissimè Christi sanguine esse redemtam, non quidem redemtione LIBER-*

BERATIVA, (quâ quispiam jam captus & malè vexatus ex hostium manibus liberetur,) *sed redemtione multò perfectiori ac excellentiori, nempe PRÆSERVATIVA* (quâ fiat, ne quis in hostium manus immanes incidat, quas evitare aliàs non posset, nisi à potenti amico præservatus.) Quam exceptionem & distinctionem antiquior quidam Scholasticus Doctor in secundo de B. Maria Virgine sermone (qui in Bonaventuræ Operibus, Sixti V. Pontificis Maximi auctoritate editis, velut germanum Bonaventuræ scriptum sit, comparet) hisce olim verbis ferè tradidit: *Dico primò, quòd Domina nostra fuit plena gratiâ præveniente in sua sanctificatione, gratiâ scilicet præservativâ contra fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gratiâ præservata præventaque fuisset; solus enim filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater ejus Virgo. Credendum enim est, quod novo sanctificationis genere in ejus Conceptionis primordio Spiritus Sanctus eam à peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratiâ præservavit.* Verùm enim verò, licet vera illa redemtio, quâ Christus Mediator nos omnes redemit, suô modô ac sanô sensu non modò liberativa, sed & præservativa sit, *liberativa* quidem, quatenus à reatu, quo reverà constringebamur, atque adeò à vi & potestate Satanæ, qui nos velut captivos tenuit, liberos reddidit, *præservativa* verò, quatenus, ne hostis iste sævitiam suam nostro exitio in nobis exercere posset, illâ ipsâ liberatione impedivit, & sic an-

antequam periremus, nos à pœna peccati, damnatione æterna, præservavit; tamen (1) præservativa redemtio, quâ quisquam hominum carnaliter genitorum contra omne peccatum specialiter præservatus fuisse dicitur, nil aliud est, quàm pessimum contra sacras literas excogitatum commentum. Sacra enim Scriptura omnes omninò homines actu & reverà existere peccatores disertè asserit, ùt quando testatur, *omnes homines defeciſſe, ſimulque inutiles factos eſſe, non eſſe facientem bonum, ne etiam unicum* Psalm. XIV, 3. LIII, 4. *non eſſe hominem, qui non peccet* 1. Reg. IIX, 46. 2. Paral. VI, 36. *non eſſe hominem juſtum in terra, qui faciat bonum & non peccet* Eccles. VII, 20. *omnes eſſe peccatores, ut ne unus quidem reperiatur juſtus, ſed totus mundus* (propter peccatum) *obnoxius ſit Deo* Rom. III, 9. 10. 19. (2) Redemtio *præſervativa*, quatenus (ut hîc fit à *Dionyſio Werlenſi*) liberativæ adæquatè opponitur, & ab ea reapse diversa ac realiter distincta esse dicitur, verè ac propriè non est redemtio, atque adeò si Christus Mariam non liberativè, sed præservativè redemit, eam verè non redemit. *Redimere* enim propriè loquendô non est idem ac aliquem in primo & perpetuo felicitatis statu servare, aut, ne in conditionem miseram prolabatur, præservare, sed propriè importat beneficium, quô quis alterum ex miseria, in quam is jam inciderat, e. gr. ex captivitate, vicissim eruit, atque in primum ac pristinum felicitatis statum, e. gr. in libertatem hactenus amissam, restaurat.

§. 10.

§. 10. Argumenta, quæ ad adstruendam B. Virginis conceptionem immaculatam in Papatu produci consvevére, præ aliis nostratibus Theologis prorsus profligavit acutissimus *Scherzerus* in eruditissima quadam dissertatione, quam anno 1671. de quæstione illa famosa: *An B. Virgo sit absque peccato originali concepta*? Lipsiæ habuit, ac posteà suo Anti-Bellarmino à pag. 662. usque ad 705. inseruit. Eorundem argumentorum, quatenus ex sacris literis conquiri solent, imbecillitatem apertè confitetur ex Pontificiis *Gvilielmus Estius*, quando 3. Dist. III. §. 4. ait: *Reverà nullæ sunt Scripturæ, quæ literali sensu acceptæ, probabilem hujus sententiæ præbeant significationem; ex mystico autem intellectu, qui & varius & incertus esse solet, sumi non potest solida probatio.* Ipsi sanè *Bellarmino* argumenta Papistica, quæ ad evincendam B. Virginis conceptionem immaculatam efformantur, firma satis, ac solida non videntur, quia Libr. IV. de Amiss. Grat. c. XV. doctrinam, quæ peccati originalis expertem Mariam facit, articulum fidei, remque certam, exploratam, & fide catholicâ tenendam, esse inficiatur, sed pro sententia tantùm *probabili* habet, atque pro ea *probabiles* saltem rationes primùm ex Scripturis, deinde ex Patribus, tùm ex consensu Ecclesiæ, postremò ex ratione se allaturum scribit. Quid? quod illas, quæ ad confirmandam *Franciscanorum* & *Jesuitarum* sententiam ex Patrum monumentis adducuntur, rationes prorsus explodat Canariensis Episcopus *Melchior Canus*, qui Locor. Libr. VII. cap. I. fol. 348. *Sanctos omnes, qui in ejus*

rei mentionem incidere, unô ore, quòd B. Virgo in peccato originali concepta sit, asseverare ajat, atque illam sententiam *Ambrosii, Augustini, Chrysostomi* aliorumque fuisse doceat. Conf. eundem Libr. VII. c. III. n. 9. fol. 356.

§. 11. Cæterùm tantum abest, ut in ipso Papatu monachi Dominicani sententiam illam, quæ Mariam à labe originali immunem pronunciat, tanquam probabilem agnoscant, ut ei potiùs secundùm Thomæ sui disciplinam constanter reluctentur, & doctrinam contrariam, quæ B. Virginem in peccato conceptam esse asserit, tanquam simpliciter & absolutè veram vehementi impetu propugnent. Nam in Historia *Legationis Philippi III. & Philippi IV. Catholicorum Regum Hispaniarum ad Paul. V. & Gregor. XV. de definiendâ controversiâ immaculatæ conceptionis B. Virginis Mariæ per Antonium à Trejo*, quam scripsit, annóque 1624. Lovanii edidit *Lucas Waddingus* Minorita Hibernus, *Dominicanorum* judiciô doctrina de maculata Virginis Mariæ in peccato originali conceptione est in sacris literis fundata & contenta, communique Patrum consensu confirmata, contrarium verò de immaculata B. Mariæ Virginis conceptione dogma est hæreticum, imò blasphemum, & Sacræ Scripturæ fideique contradicit.

§. 12. Quamvis verò *Dominicani* B. Virginem in peccato conceptam esse rectè arbitrentur, errant tamen eorum plerique, dum, *Estio* 3. D. III. §. 6. testante, docent, Mariam esse quidem in originali labe conceptam, sed postmodum ita sanctificatam,

tam, ut per totam vitam ab omni peccato actuali, tùm veniali, tùm mortali, fuerit penitùs immunis. Scriptura enim *Matth.* XII, 46. *Marc.* III, 20. *Luc.* II, 23. 43. 49. *cap.* VIII, 20. *Joh.* II, 4. disertè perhibet, B. Virginem in sua vita actualium peccatorum nævis & infirmitatibus obnoxiam fuisse.

§. 13. Inprimis damnamus hîc execrandum & atrox facinus illorum *Dominicanorum*, qui suam propagaturi, & contrariam passim extirpaturi sententiam, ad arma confugiebant, atque, ut Helvetios, gentem tunc simplicem, sed bellicosam, ad expellendos *Franciscanos* permoverent, deliberatione Wimpfenii initâ, Bernæ Helvetiorum nefandas impostúras, & incantationes abominandas opemque Satanæ adhibebant. Lege Historiam apud *Johannem Wolffium* Lect. Memorabil. Tom. II. fol. 10. seqq. & cohorrescs.

Th. XIX.

Et quidem in omnibus hominibus secundùm communem naturæ ordinem progenitis ita est peccatum originis, ut *formaliter* (h. e. in se & ratione sui) consideratum non tantùm in anima quoad intellectum, voluntatem & appetitum sensitivum spectata, sed & in ipsis corporis humani membris, quæ quidem animæ rationalis imperio ad perficiendas ejus operationes, subjiciuntur, seu animæ malè operantis & peccato corruptissimæ instrumenta sunt, deprehendatur.

§. 1. Quòd peccatum originis formaliter (h. e. ratione sui & quoad ipsam suam entitatem) in anima quoad intellectum, voluntatem & appetitum sensitivum spectatâ reperiatur, ex superioribus Loci hujus Theologici Thesibus liquet, cùm ostensum ibi sit, tùm aliquam justitiæ originalis connatam carentiam (quæ utique de formali ratione peccati originalis est) tùm quandam habitualem ad mala propensionem congenitam (quæ itidem ad peccati originalis rationem formalem pertinet) non solùm in sensitivo appetitu, sed & in intellectu & voluntate hominis deprehendi. Eandem peccati originalis sedem probant nostrates Theologi ex eo, quòd peccatum illud, in sua formali ratione spectatum, justitiæ originali (quippe quæ juxta ea, quæ Part. I. Loc. V. Th. XIV. XV. XVI. diximus, in intellectu, voluntate & appetitu sensitivo resedit) partim privativè (in quantum scilicet *pravitatem*, ut B. *Dannhauerus* in Hodos. Phæn. IV. p. m. 242. loquitur, *boni debiti expertem*, h. e. originalis justitiæ carentiam importat,) partim (quatenus nimirum *pravitatem*, ut itidem l. c *Dannhauerus* inquit, *boni indebiti cupidam*, h. e congenitam concupiscentiam pravam, in sua essentia involvit) contrariè, & sic positivè opponatur, habitus autem eique opposita privatio (ut etiam B. *Chemnitius* Part. I. LL. Loc. de Pecc. Orig. p. m. 582. monet,) nec non duo habitus contrarii, quia se mutuò ex subjecto expellunt, ad idem subjectum pertineant.

§. 2.

§. 2. Hîc igitur graviter errant Scholastici illi ac Pontificii Doctores, qui peccatum originis in inferiore tantùm animæ parte collocant, superiores autem vires seu facultates, h. e. intellectum & voluntatem, ab eo immunes esse asserunt, seu (ut eorum mentem B. *Chemnitius* l. c. pag. m. 581. declarat) *peccatum originale dicunt esse langvorem in corpore, & in illa potentia animæ, quæ communicat corpori, scilicet sensualitate, superiores verò vires animæ pronunciant per sese esse integras, ita ut à sensualitate tantùm inclinentur & impugnentur, & illas quidem aliquando abripi sensualitate, posse tamen repugnare.* Quod erroneum dogma, quatenus superiores animæ humanæ potentias peccati originalis expertes facit, *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. m. 52. ita perstringit: *De fomite disputant Scholastici Doctores, quòd sit qualitas corporis, & , ut suo more sint inepti, quærunt, utrum qualitas illa contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit, utrum augeatur medicamentis. Hujusmodi quæstionibus oppressêrunt principale negotium. Itaque cum de peccato originis loqvuntur, graviora vitia humanæ naturæ* (nimirum intellectus & voluntatis) *non commemorant, scilicet ignorationem Dei, contemtum Dei, vacare metu & fiduciâ Dei, odisse judicium Dei, fugere Deum judicantem, irasci Deo, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium &c. Hos morbos, qui maximè adversantur legi Dei, non animadvertunt Scholastici. Imò tribuunt interim humanæ naturæ integras vires ad diligendum Deum super omnia, ad faciendа præcepta Dei quoad substantiam actuum.*

§. 3. Ipsis quoque corporis humani membris, quæ hominis animæ, tanquam reginæ, ad perpetrandas ipsius operationes subjiciuntur, peccatum originis *formaliter* (h. e. ratione suiipsius ac quoad entitatem suam) spectatum inesse, inde constat, quòd peccatum illud in membris istis omnimodam ad agenda bona ineptitudinem, atque insignem ad exequenda mala promtitudinem innatam importet, ineptitudo autem rei ineptæ, promtitudo rei promtæ formaliter competat.

§. 4. Nec tantùm formaliter, sed & quoad quædam *consequentia*, ac secundum aliquos *effectus* suos originale peccatum in corpore ejusque membris deprehenditur. Nam nequitiæ instrumentum esse, morbida illa, quam modò descripsimus, qualitas, morbi, mors temporalis, aliaque temporalia & corporalia mala, quæ omnia sunt originalis peccati consequentia & effectus, corpori formaliter inexistunt.

§. 5. Etsi verò peccatum originis formaliter & in se spectatum corpori quoque competat, non tamen ei *primò* ac immediatè inest. Videlicet corpus ad agenda bona ineptum, & ad exequenda mala promtum est, quia anima, quippe quæ informat corpus ejusque principium rectivum est, ad faciendum bonum naturaliter est inepta, & ad malum patrandum promta. Spectat huc, quod B. *Balduinus* Comm. in Ep. ad Eph. cap. IV. P. II. Aphor. 7. dicit: *Subjectum Peccati Originalis est quidem totus homo cum omnibus suis viribus, primaria tamen ejus sedes est sensus mentis, quem etiam inprimis*

mis renovari jubet Apostolus vers. 35. Mens enim dominatur toti corpori, ex cujus CORRUPTO DOMINIO facilè etiam sequitur corruptio reliquarum in homine partium. Res similitudine aliquâ illustrari potest. Uti enim calor, licet formaliter, h. e. in se & quoad entitatem suam sit in ferro, quod ignitum est, non tamen ibi est primò & immediatè, sed καθ' ἄλλο & mediante aliò, nimirum mediante igne, qui existit in ferro: ita & peccatum originis, etsi formaliter sit in corpore ejusque membris, non tamen ibi primò ac immediatè, sed mediante animâ residet.

§. 6. Quòd peccatum originis formaliter & in se spectatum, primò ac immediatè non corpori, sed animæ insit, ex justitiæ originalis sede itidem liquet. Sicut enim originalis justitia, quæ originali peccato certo respectu ut habitus privationi, certô respectu ut habitus positivus alii habitui positivo opponitur, primo & immediatè non corpori, sed animæ inest; ita & peccatum originis animæ, non corpori, primò ac immediatè competit. Opposita enim, quæ se mutuò ex subjecto expellunt (cujusmodi sunt habitus eique opposita privatio, nec non duo habitus contrarii) ad idem sese subjectum referunt, atque adeò idem etiam subjectum habent, cui per se & immediatè insunt. Certè justitiæ originalis subjectum primum & immediatum B. *Calovius* succinctè exprimit, cùm System. Theol. Tom. IV. c. II. pag. 610. ait: *Anima πρῶτον δεκτικὸν justitiæ originalis erat.* Gemina his tradit B. *Musæus*, qui in der Ausführlichen Erklärung pag.

313. scribit: Das subjectum QUO justitiæ originalis (seu subjectum, cui justitia illa formaliter & immediatè insuit) sind im ersten Menschen nicht Hände und Füsse / Fleisch und Blut / Haut und Bein gewesen: Denn die Justitia originalis bestunde eigentlich zu reden in luce & sapientia intellectus, und in justitia, sanctitate & rectitudine voluntatis & appetitus sensitivi.

§. 7. Id ipsum (quòd peccatum originis, formaliter & in se spectatum, primò ac immediatè non corpori, sed animæ insit) orthodoxi Theologi perspicuè admodùm asseruêre. Disertè B. *Gerhardus* Isag. Loc. Theol. Disp. XXII. c. IX. §. 14. inquit: πρῶτον δεκτικὸν *peccati est anima, non corpus, ac prima peccati scaturigo non redit à corpore ad animam, sed potiùs ab anima ad corpus.* Cui consona docet B. *Cundisius* Not. ad Compend. Hutt. Loc. VIII. qv. 6. § 3. ubi *Subjectum*, ait, *limitatum peccati originalis est vel primarium, vel secundarium.* Πρῶτον δεκτικὸν *sive subjectum primarium est hominis anima. Subjectum secundarium est corpus.* Quod ipsum B. *Joh. Fried. Königius* in Theol. Pos. Part. II. §. 91. ita tradit: *Uti peccati* πρῶτον δεκτικὸν *anima, ita & ipsum peccatum originis, mediante animâ, cui penitissimè inhæret, propagatur per traducem.* Distinctiùs hancce doctrinam B. *Musæus* in der Ausführlichen Erklärung pag. 316. sic enunciat: Wir sagen auch / *ipsum corpus & omnia ejus membra esse peccato originis infecta*, nicht aber / daß es *formaliter & immediatè in ipso corpore ejusque membris, velut* πρώτῳ δεκτικῷ *sive subjecto QUO & primo, sive im-*

immediato sey/ sondern daß sichs *ex anima, tanquam suo* πρώτῳ ὀργανικῷ, *in corpus totum diffundire.* Respexit huc haud dubiè B. *Martinus Chemnitius*, quando *Subjectum*, dixit, *peccati originis est totus vetus homo, in corpore & anima, & in singulis tùm membris, tùm potentiis. Nominantur autem plerumque potentiæ animæ, quia in illis PRÆCIPUE sentitur peccatum originale.*

§. 8. Impingunt autem vehementer *Petrus Lombardus* in 2. lib. sent. dist 31. §. 2. & 3. ejusque sequaces *Henricus Gandavensis* quodlib. 2. q. 11. *Gregorius Ariminensis* in 2. d. 30. q. 1. & *Johannes Driedo* in 1. lib. de *grat.* & *lib. arbitr.* qui (ut errorem hunc B. *Chemnitius* l. c. enarrat) *propriè & per prius in corpore, per posterius verò in anima, quia illa ex conjunctione cum vitiosa carne inquinetur, peccatum originale esse* contendunt, seu (ut *Bellarminus* opinionem illam refellens Libr. V. de amiss. grat. c. XV. refert) *duas esse in homine malas qualitates, unam in carne, alteram in anima, ac posteriorem, quia anima ex contactu carnis polluatur, à priore oriri, utramque autem concupiscentiam dici posse* existimant.

§. 9. Cæterùm ex hactenus dictis haud difficulter decidi potest quæstio illa: *Utrum membra corporis, quæ animæ peccatô corruptæ instrumenta sunt, appellari possint peccati originalis subjectum QUO?* Nimirum si vocabulum subjecti QUO (quod B. *Musæus* l. c. facit) in significatu strictissimo sumas, dicasque id, cui aliquid in se, primò & immediatè competit, & quô mediante alteri alicui inest, corporis humani membra peccati originalis membra

salvâ veritate vocari nequeunt: Etsi enim peccatum illud formaliter, h. e. in se ac quoad entitatem suam, corporis membris competat, non tamen primò ac immediatè inest. Quod si verò rei alicujus subjectum QUO appellites quamvis suppositi partem, secundùm quam res illa supposito inest, negari omninò nequit, corporis humani membra esse originalis peccati subjectum QUO: Cùm enim peccatum originale tùm formaliter ac ratione sui, tùm quoad consequentia & effectus corpori insit, commodè utique dici potest, quòd homo, tanquam suppositum, secundùm animam pariter & corpus ejusque membra labem originalem habeat.

§. 10. Hinc tandem doctrina de peccati originalis *subjecto* adhibitis terminis philosophicis commodè sic exprimi posse videtur: *Peccati originalis subjectum est vel QUOD, vel QUO. Subjectum QUOD* (seu suppositum illud, quod ab hoc peccato afficitur, atque culpabile ac peccator denominatur) *est homo, vel, si de extensione quæratur, sunt omnes omninò homines ex Adamo carnaliter descendentes. Subjectum QUO* (in laxiori significatu sic dictum) *est vel primarium vel secundarium: Primarium* (quod dicitur aliàs peccati originalis subjectum QUO in proprio strictóque significatu) *est anima; secundarium verò sunt corporis humani membra.*

Th. XX.

Peccati originalis, quatenus congenitam intellectui ad temeraria & falsa de rebus spi-

spiritualibus ferenda judicia pronitatem importat, *Materia circa quam*, seu *Objectum* sunt illæ ipsæ res spirituales; &, quatenus connatam voluntatis & appetitus sensitivi concupiscentiam in sua essentia involvit, *Objectum* sunt res carnales, temporales, vanæ & caducæ, quas quærit, & Deus, quem contemnit. Confer. *Augustanæ Confessionis Apologia* p.m. 55.

Th. XXI.

Forma (seu formale aut ratio formalis) peccati originis, h. e. id, per quod peccatum originis in esse ac specie originalis peccati primò constituitur, est cùm totus peccati hujus conceptus quidditativus, (quippe qui est *forma totius*,) tùm illud, quod ita peccati originalis conceptum primum ingreditur, ut ipsius conceptum communem ac generícum ad esse talis in specie spectati, scilicet ad esse peccati originalis, restringat (utpote quod *forma partis* appellitari consvevit.) Totus peccati hujus conceptus quidditativús est complexus malorum moralium congenitorum, quæ sunt prava per facultates animæ, ipsaque corporis membra diffundens se, ac multiplicem inordinatam propensionem in se complectens concupiscentia, variamque cum lege Dei æterna per se pugnantem privationem continens justitiæ originalis carentia. Illud verò, quod ita peccati originalis conceptum primum ingreditur, ut ipsius conceptum communem ac ge-

genericum ad esse peccati originalis restringat, est cùm privationis congenitæ *relatio ad justitiam originalem*, quam illa privatio negat aut excludit, tùm inclinationis connatæ determinatio ad pravum, seu congenitæ habitualis propensionis *connata conversio ad mala* (quâ fit, ut omnes ordinariâ naturæ viâ ex Adamo descendentes homines carnalia quærant contra Verbum Dei, hoc est, quærant non solùm voluptates corporis, verùm etiam sapientiam & justitiam carnalem, & confidant his bonis) & *connata aversio à bono* (quâ non tantùm bonum non volunt, e. gr. Deum non amant, Deo non confidunt, sed etiam bonum positivè aversantur, e. gr. Deum, qui sanè summum bonum est, contemnunt odioque habent.) Vid. *Augustanæ Confess. Apologia* l. c.

§. 1. *Non recens est illa disputatio de* FORMALI *peccati originalis, sed agitata fuit ab omnibus Scholasticis, & inde cœpit extenuari peccatum, quod in renatis reliqvum est. Quia verò variæ & sophisticæ seruntur λογομαχίαι in hac disputatione: Bucerus svasit Ratisbonæ, concertationes illas de terminis Dialecticis non esse invehendas in Ecclesiam, sed de rebus ipsis, verbis & sensu Scripturæ esse loquendum.* Ita scribit B. *Martinus Chemnitius* LL. Theol. Part. I. Loc. de Pecc. Orig. c. IV. p. m. 584.

§. 2. Quamvis verò indocti variè de formali originalis peccati tumultuentur, *eruditis* tamen (ut *Melanchthon* LL. Theol. Loc. de Pecc. Orig. p. m. 114. rectè annotat) *facile est de hac quæstione judi-*

ci-

tium, seu (uti B. *Chemnitius* l. c. scribit) *disputatio hæc, si dextrè & candidè judicetur, facilè judicari potest.*

§. 3. Nos (quod & se facturum *Melanchthon* l. c. pollicetur) *nolumus hîc serere λογομαχίας in Ecclesia, sed planè & sine sophistica, & sine perplexitate veram sententiam exponemus.* Id quod omninò fiet, si cumprimis ambiguitatem termini evolvamus, &, quot modis τὸ formale peccati accipi possit, expendamus.

§. 4. *Melanchthon* l. c. pag. 114. seq. observat, *rectè eruditos scire, universaliter formale peccati esse REATUM seu condemnationem personæ, quæ est rea.* Sic & B. *Chemnitius* l. c. pag. 585. docet, *nullum esse dubium, peccati originalis, si in prædicamento relationis consideretur, formale esse REATUM.* Quæ Theologorum illorum doctrina, ut dextrè explicetur atque sic satis defendatur, distinctiùs paulò efferenda ac proponenda est. Nimirum reatus, quem uti omne peccatum, ita & peccatum originis importat, bifariàm spectari potest: (1) ut se habet ex parte peccatoris eumque afficit, ac nihil aliud est, quàm peccatoris debitum subeundi pœnam, seu obligatio peccatoris ad pœnam sustinendam; (2) ut ipsi peccato in se spectato tribuitur, estque pœnæ, e. gr. æternæ mortis, peccato adhærens dignitas ac meritum. Quocunque autem modô consideretur, realem aliquam relationem formaliter importat, & quidem, si priori ratione spectetur, *peccatoris*, si posteriori pactô sumatur, *peccati* realem ad pœnam relationem arguit. Cæterùm

rùm reatus, priori modô spectatus, est peccati originalis *formale* in eo (utut minùs usitatô) significatu, quô formale denotat *formalem* rei *effectum*, h. e. effectum, quem res vi suæ naturæ ac formæ, seu per præsentiam & formalem sui adessentiam non potest non ex parte hujus vel illius subjecti inducere: Omne enim peccatum vi suæ naturæ ac formæ in homine peccatore aliquod pœnam subeundi debitum inducere, in Loco Theologico proximè præcedente ad Th. XII. evictum est. Atque de illo peccati originalis formali, nempe de reatu, ut ex parte peccatoris se habet eumque afficit, spectatô B. *Chemnitius* l. c. pag. 585. disserit, quando *peccati originalis formale*, *quod est in prædicamento relationis*, *plenariâ tolli remissione* inquit. Si verò reatus, ut ipsi peccato in se spectato tribuitur, consideretur, est peccatioriginalis, generatim ut peccatum & reum quid est, spectati formale in significatu magis proprio, quatenus nimirum formale denotat illud, per quod (sive ut conceptum suum primum, sive ut conceptum suum necessarium secundum) res est id, quod est, & sine quo res non potest esse id, quod est. Uti enim peccatum originis formaliter per reatum est peccatum; ita hoc, quod est ac denominatur reum, à reatu formaliter habet.

§. 5. Quando autem peccatum originis *formaliter* per reatum peccatum esse dicitur, illudnon eô accipiendum est sensu, quòd peccatum originis per reatum, tanquam per conceptum suum *primum* sit peccatum, sed illô duntaxat modô intelligen-

gendum, quô e. gr. homo formaliter per hoc, quòd sit docilis, homo esse dicitur. Reatus enim non pertinet ad formale primum peccati originalis, sed est saltem peccati illius consequens formale, h. e. ex essentia & natura peccati originalis, tanquam ex suo fundamento, necessariò provenit. Sicut enim omne peccatum, ut est peccatum, ita & peccatum originis in sua natura legis Dei æternæ & immutabilis, atque adeò juris divini violationem, & sic porrò injuriam in Deum redundantem, quâ ipse non potest non gravissimè offendi, importat. Ergò originale peccatum in sua natura gravissimas pœnas commeretur, seu (ut *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 57. ait) est *res naturâ digna morte* (cùm temporali, tùm æternâ.) Quò collineat omninò, quod *Melanchthon* l. c. pag. 114. seq. huncce in modum scribit: *Rectè eruditi sciunt universaliter, formale peccati esse reatum, seu condemnationem personæ, quæ est rea. Sed hæc relatio alicui malo accidit. Quærendum ergò est fundamentum proximum hujus relationis, seu, uti vocant, materiale propinquum. Est autem fundamentum hujus reatus ipsum in homine vitium nobiscum nascens, quod vocant vel defectus, vel pravas inclinationes, vel concupiscentiam.* Eodem redit, quod *Melanchthon* ibid. pag. 115. ait: *Cum quæritur, quod sit formale peccati originis? rectè respondetur, reatus. Deinde verò quærendum est fundamentum hujus relationis. Id verò est, ut dixi, ipsum vitium nobiscum nascens, quod est malum pugnans cum lege Dei.*

§. 6.

§. 6. Nec verò tantùm per reatum, sed & per aliquid, quod reatu in peccato originis prius est, nempe per ἀνομίαν (seu per defectum, quô peccatum illud cum lege Dei æterna disconvenit,) imò per aliquid, quod disconvenientiâ hâc in labe originali prius est, nimirum per disconvenientiam, quâ per se suamque formalem rationem cum natura rationali pugnat, peccatum originis formaliter est peccatum. Hinc itidem *Melanchthon* l. c. p. 115. conformitatis cum lege Dei defectum ad peccati originalis formale refert, dum inquit: *Fundamentum hujus reatus est ipsum in homine vitium nobiscum nascens, quod vocant vel defectus, vel pravas inclinationes, vel concupiscentiam. Nam his appellationibus omnibus eadem mala significantur, seu potius magna confusio malorum. Intelligenda est enim concupiscentia non de appetitionibus in natura conditis, sed de ἀταξίᾳ omnium appetitionum. In his vitiis scit Dialecticus suum quoddam FORMALE esse, proprium vitii, scilicet defectum rectitudinis aberrantem à lege Dei, seu ἀταξίαν.*

§. 7. *Formale* igitur, h. e. id, per quod peccatum originis est peccatum, varium omninò est. Aut enim ad peccati originalis conceptum primum pertinet, nempe absolutè necessaria disconvenientia cum natura rationali: Aut est aliquod peccati illius consequens formale, & quidem vel immediatum, ut ἀνομία, vel mediatum (quod ex natura & essentia peccati originalis mediante alio consequente formali, videlicet interveniente ἀνομίᾳ, fluit) ut reatus.

§. 8.

§. 8. Nos in thesi nostra haud loquimur de eo peccati originalis formali, per quod peccatum originis præcisè est peccatum aut aliquid reum, sed de peccati illius formali strictè & absolutè sic dicto, nimirum de eo *formali*, *per quod peccatum originis in esse ac specie* originalis peccati *primò constituitur*. Cujusmodi formale, si de *forma totius* sermo sit, est totus malorum moralium congenitorum complexus (quem *Melanchthon* l. c. pag. 115. vocat *magnam confusionem malorum*, eô modô sic appellatam, quô multi morbi simul esse dicuntur;) &, si *formam partis* intelligas, est cùm privationis congenitæ relatio ad justitiam originalem, quam illa privatio negat aut excludit, tùm inclinationis connatæ determinatio ad pravum. Atque de illo peccati originalis formali, & quidem de forma totius, loquitur B. *Chemnitius* l. c. pag. 585. dum *peccati originalis formale, quod est in prædicamento qualitatis, incipere quidem in Baptismo mortificari & sanari, non autem omninò tolli*, perhibet. Scilicet cùm per renovationem, cujus lavacrum est baptismus, amissa justitia originalis quadantenus restauretur, & connata ad malum inclinatio, etiam ratione sui, magis magisque minuatur, peccati originalis formale, quippe quod in carentia justitiæ originalis, & connata ad malum propensione consistit, incipit quidem in Baptismo mortificari & sanari, non autem omninò tollitur.

§. 9. De cætero cùm privationis congenitæ ad originalem justitiam relatio, tùm inclinationis connatæ ad pravum determinatio conceptum pec-

cati originalis communem ac genericum ad esse peccati originalis restringere rectè dicitur. Peccatum enim originale (totaliter, seu pro tota malorum moralium congenitorum confusione acceptum) est cùm connata quædam privatio, tùm congenita aliqua propensio, ita, ut tàm ingenita privatio, quàm innata pronitas sit conceptus, quem originale peccatum cum aliis rebus, quæ sunt peccatum originis, e. g. cum nativa immortalitatis privatione, aut naturali pedum ad ambulandum inclinatione, communem habet: Jam verò connata privatio per relationem, quam ad justitiam originalem dicit, & propensio congenita per eam, quæ ad malum est, determinationem ad esse peccati originalis restringitur.

§. 10. Ex hactenus dictis decidi potest haud difficulter illa inter ipsos Augustanæ Confessioni addictos Theologos vehementer agitata quæstio: *Utrum peccatum originis*, *FORMALITER* (h. e. ratione formalis sui) *spectatum*, *sit aliquod positivum*, *privationi ac negationi oppositum*, seu involvat aliquid, quod non in eo, quòd aliquid non sit, sed potiùs in eo, quòd aliquid in re ipsa ponatur, consistit? Scilicet, quod ad illud peccati originalis formale, per quod peccatum originis præcisè est peccatum, attinet, equidem nec disconvenientia cum lege, nec disconvenientia cùm natura rationali, cùm utraque meram alicujus cum certa regula conformitatis privationem importet, est aliquid positivum; at reatus, cùm sit vera ac realis pœnæ dignitas, seu reale pœnæ meritum, non est mera pri-

privatio, aut sola absentia & negatio oppositi, atque adeò est aliquid positivum. Sic & illud peccati originalis formale, per quod peccatum originis in esse ac specie *originalis* peccati primò constituitur, utique est positivum quid. Quippe peccati originalis forma totius non solùm originalis justitiæ privationem, sed & connatam ad malum inclinationem involvit. Id quod *Augustana Confessio* Art. II. disertè docet, ubi *omnes homines, secundùm naturam propagatos, cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & CUM CONCUPISCENTIA nasci* perhibet. Id ipsum repetit *Apologia*, dum pag. 55. contendit, *peccatum originis esse cùm debitæ justitiæ carentiam, tùm habitum vitiosum, qui amissâ justitiâ successit.* Hinc B. *Sherzerus* in *Brev. Hülsem. enucl.* c. V. pag. 273. scitè scribit, *inter Theologos Augustanæ Confessionis non posse (saltim non debere) esse dubium, quòd formale peccati secundùm sensum Apologiæ A. C. ad Art. II. non sit nuda privatio, sed præterea habitus conversivus ad malum.* Idem illud peccati originalis formale, per quod peccatum hoc in esse peccati originalis primò constituitur, & quidem formam totius, perquam doctè & accuratè B. *Joh. Gerhardus* declarat, cùm Isag. Loc. Theol. Disp. XXIV. c. VI. hæcce tradit: *FORMA peccati originalis consistit* [1] *in στερήσει justitiæ originalis ac boni in primæva creatione protoplastis concessi amissione,* [2] *in ἕξει pravæ concupiscentiæ ac mali contrarii successione.* Ast connata ad malum inclinatio, sive prava concupiscentia, est utique positivum quid. Est enim accidens *habituale*

(cùm sit habitus connatus, & in hac vita radicaliter non extingvibilis,) *morale* (cùm ad mores & vitam pertineat,) *privationi oppositum* (cùm per ipsam non saltem facti simus non-justi, sed formaliter *injusti.*) Similiter, quod ad originalis peccati *formam partis* spectat, inclinationis connatæ determinatio ad prava omninò est aliquid positivum. Exquisitè B. *Hülsemannus* in *Extensione Breviarii Theolog.* c. V. §. IV. inquit: *Determinatio inclinationis ad pravum est accidens POSITIVUM morale, nec tamen à Deo creatum, neque in Diabolis, nec in hominibus.* Eôdem modô B. *Scherzerus* l. c. *Neque inclinatio*, ait, *neque ejus ad malum determinatio in ulla Philosophia potest esse mera privatio, sive sola absentia oppositi.*

§. 11. Neque verò turbari nos hîc sinimus eâ vulgatâ objectione, quòd *omnes res positivæ sint à Deo, dici autem salvâ veritate nequeat, aliquid, per quod peccatum originis est peccatum, aut inclinationis determinationem ad pravum à Deo esse.* Illud enim in Philosophia tritum assertum: *Omnes res positivæ sunt à Deo*, non absolutè de quacunque re positiva, tàm morali, quàm physica, sed (ut B. *Hülsemannus* l. c. limitat) de *omni ente physico*, aut (ut arctiùs B. *Scherzerus* l. c. pag. 275. restringit) de *omni ente, quod est substantia physica*, intelligendum. Ipse B. *Chemnitius* illud Philosophorum effatum de solis substantiis, physicisque motibus ut talibus, interpretari videtur, quando Loc. Theol. Part. I. Loc. de Caus. Pecc. c. V. p. 387. scribit: *Certum est, omnes res positivas, id est, omnia, quæ sunt & vivunt, ut*

ut naturæ vel substantiæ, & omnia, quæ moventur, ut actiones, Actor. 17. esse à Deo. Quæ sanè limitatio & interpretatio non potest non penitùs approbari. Nam (ut unam vel alteram instantiam hîc proferamus) etsi concupiscentiæ fœcunditas ad malum, ejusque imprægnatio, ut pariat peccatum, sint res positivæ, tamen absque blasphemia asseri nequit, eas à Deo dependere. Ac licet determinatio motus physici hîc & nunc ad malum, & cum vitiositate conjunctio, ut inde peccatum fiat, (e. gr. motuum manûs ad rem alienam, concubitus voluntarii ad uxorem alienam applicatio) aliquid reale ac positivum sit, non tamen est à Deo: Ea enim, cùm determinatio actûs à principio particulari, non universali, dependeat, non Deo, sed soli homini, qui ipsam in mundum introduxit, & ex depravata sua natura elicuit, adscribenda est. Hinc B. *Balthasar Meisnerus* Anthropol. Dec. I. Disp. IV. Qv. 2. §. 26. accuratè scribit: *Hoc ipsum ergò ut ad lapsum Adæ applicetur, ipsa comestio, quà talis, vel in quantum actus erat physicus, à Deo cooperante erat, sed quà pomi vetiti erat comestio, in quantum inordinata erat manducatio* (seu: comestionis ad objectum prohibitum determinatio,) *à sola erat voluntate hominis pravè appetentis.* Quid? quòd omnem extra dubitationem positum sit, actionem, ut est concubitus voluntarius cum bestia, aut cum uxore aliena, aut cùm matre, esse aliquod positivum. Ast quî citra blasphemiam dici poterit, actionem, ut est concubitus hôcce modô spectatus, à Deo dependere? Profectò enim (ut B. *Velthe-*

mius noſter Inſtitut. Metaphyſ. pag. 1564. accuratè docet) *ſi Deus concurreret ad actionem, ut eſt concubitus voluntarius cum beſtia, cum uxore aliena, cum matre, ſic Deus (abhorreant piæ aures!) eſſet cauſa actionis moraliter malæ quà talis, quia cum voluntario concubitu cum beſtia, uxore aliena, matre, neceſſariò ac perpetuò conjuncta eſt malitia moralis ſeu turpitudo.*

§. 12. B. *Joh. Muſæus* in der Ausführlichen Erklärung pag. 229. ſeqq. & B. *Friedem. Bechmannus* in Diſp. de Pecc. Orig. ad Art. II. A. C. Theſ. 53. & alii quidam Theologi hîc exiſtimant, Peccatum Originis *formaliter* eſſe poſitivum quid, ſi *τὸ formaliter* idem ſit quod *abſtractivè*. Docent enim, juſtitiæ originalis carentiam, quippe quæ ſit peccatum originis abſtractivè ſumtum, non eſſe aliquid poſitivi. Verùm [I.] carentia illa æquè ac prava concupiſcentia eſt peccatum originis concretivè acceptum. Nam [α] iſthæc carentia de peccato originis concretivè ſumto propriè & in caſu recto prædicatur æquè ac prava concupiſcentia. *Cùm* enim *quæritur, quid ſit originale peccatum* (ſeu malum morale congenitum,) *rectè reſpondetur, quòd ſit concupiſcentia immoderata: Rectè etiam reſpondetur, quòd ſit debitæ juſtitiæ carentia.* Id quod *Auguſtanæ Confeſſionis Apologia* ad Art. II. pag. 55. cum *Bonaventura* manifeſtè aſſerit. [β] Eadem illa carentia, ſi ut ἀνομία, ſeu legi Dei æternæ diſſentanea, conſideretur, materiale aliquod, nempe ipſam juſtitiæ originalis privationem, & formale, nimirum ἀνομίαν, materiali illi ſubſtratam, involvit, atque

que hâc ratione omninò est aliquod concretum. [II.] Peccatum originale, ut originale, involvit etiam aliquid positivi, si vel maximè spectetur abstractivè: Hôc enim modô consideratum importat connatæ propensionis determinationem ad pravum, quæ omninò est aliquod positivum.

Th. XXII.

Effectus peccati originalis sunt in duplici differentia. Quidam sunt hominum peccatô illô contaminatorum *pœnæ tantùm*, ut [1] varii corporis morbi, [2] variæ ærumnæ aliæ, quæ protoplastos ipsos juxta *Gen.* III, 16. seqq. post lapsum afflixerunt, & suo modo ad posteros sunt derivatæ, [3] mors temporalis, [4] tyrannis Diaboli, qui imbecilles naturas horribiliter impellit, ut ex aliis malis in alia ruant, [5] ira Dei & æterna damnatio: Quidam sunt *pœnæ & peccata simul*, ut primi atque involuntarii pravæ concupiscentiæ motus, & quævis actualia peccata.

§. 1. Nomine effectûs peccati originalis h. l. minimè venit formalis effectus illius peccati, seu id, quod peccatum istud vi suæ naturæ ac formæ, & per præsentiam sui formalem in homine inducit: Hujusmodi enim effectus sunt culpa & reatus, ut ex originali peccato in hominem peccantem redundant; sed intelligitur consequens, quod labem originariam per modum pœnæ sequitur, aut divinæ justitiæ vi sequi potest.

§. 2. Ad hos peccati originalis effectus pertinet primò *mors temporalis*, quippè quam peccati illius effectum esse, expressè docet Apostolus *Rom.* V, 12. ubi per peccatum (originale) mortem ad omnes homines pervasisse testatur.

§. 3. Quod si igitur temporalis mors peccati originalis effectus est, ejusdem illius peccati effectibus meritò etiam varii corporis morbi annumerantur: Hi enim sunt mortis temporalis prodromi.

§. 4. *Calamitates* illas, quæ protoplastos ipsos juxta *Gen.* III, 16. seqq. post lapsum afflixerunt, & suô modô ad posteros sunt propagatæ, peccati originalis consequentia esse, vel ex eo liquet, quod omne à labe originaria distinctum malum, quod primis parentibus post lapsum contigit, ac deinceps ad eorum posteritatem transfusum est, non nisi mediante ac interveniente originali peccatô, seu cum peccato hæreditario & propter illud ad nos pervenerit.

§. 5. Effectum peccati originis esse etiam *Satanæ tyrannidem*, ex eo manifestè apparet, quòd dominium illud, quod diabolus juxta *Hebr.* II, 14. 15. *Col.* I, 13. II, 15. in homines peccatores obtinet, ex peccatis, atque adeò originariè ex peccato hæreditario, proveniat.

§. 6. *Iram Dei & æternam damnationem* peccati originalis effectus esse, liquidissimè constat ex *Eph.* II, 3. ubi omnes homines *naturâ* (h. e. inde à prima conceptione & nativitate, ac proinde propter peccatũ, in

in quo & cum quo concipiuntur atque nascuntur) *filii iræ* (h. e. irâ divinâ digni) esse dicuntur. Quod si enim homines propter peccatum originis sunt ira Divini Numinis digni, sanè etiam propter idem illud morti æternæ sunt obnoxii. *Qui naturâ sunt filii iræ, illi morti æternæ & damnationi sunt obnoxii, cùm ira Dei pœnas temporales & æternas secum trahat:* accuratè scribit B. *Gerhardus* Confess. Cathol. Libr. II. Part. III. artic. XXI. cap. VI. p. m. 1408.

§. 7. Damnationem æternam originalis peccati effectum esse, *Confessio Augustana* præclarè docet, quando *Art.* II. monet, quòd *peccatum originis damnet, & afferat nunc quoque æternam mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum.*

§. 8. Quæstiones autem, quæ hîc de infantibus fidelium & infidelium moveri solent, an scilicet propter peccatum originis actu damnentur, si ante perceptum baptismum morte abripiantur, jam in *Part.* I. *Loc.* IIX. Th. XXIII. §. 3. quodammodo tetigimus, ac infrà in *Part.* III. & quidem in *Loc.* de *Bapt.* §. 10. copiosiùs exponemus.

§. 9. Quamvis verò æterna damnatio verus ac realis peccati originalis effectus sit, atque ex nostratibus B. *Joh. Gerhardus* in Loc. de Pecc. Orig. §. 34. scribat, *incredulitatem causam damnationis immediatam, propriam & adæquatam esse, non aliæ peccata*, tutiùs tamen hodiè in nostris Ecclesiis agunt, qui prorsus abstinent illâ, quam D. *Latermannus* in Exerc. de *æterna Dei Prædest. & ordinata omnes salvandi voluntate* §. 23. usurpavit, phrasi:

Peccatum originis jam sub novo gratiæ fœdere, quod Deus cum mortalium genere in Christo iniit, sufficiens quidem, sed non adæquata æternæ damnationis causa est. Vid. ea, quæ superiùs in *Loc.* de *Damn. Æt.* Th. XXI. §. 4. edisseruimus. Cæterùm explicandum hîc omninò est, quô sensu *causæ adæquatæ* terminum adhibuerit B. *Gerhardus*, quando incredulitatem, non alia peccata, atque adeò nec peccatum originis, adæquatam æternæ damnationis causam esse docuit. Nempe B. Theologus haud dubiè per causam adæquatam intellexit talem causam, quâ positâ, statim actu ponitur, & non potest non poni id, cujus respectu causa dicitur. Sic verò fatendum est, peccatum originis non esse damnationis causam adæquatam: Positô enim peccatô originis, prout in omnibus per naturæ corruptæ conditionem ponitur, non illicò omnes actu damnantur. Quod si autem causa adæquata dicatur, quæ ita se habet ad effectum, ut præter eam alia causa in eodem genere causarum non requiratur, asserimus cum B. nostro *Bajero*, peccatum originis esse causam damnationis adæquatam, cùm peccatum illud etiam non accedente aliô peccatô causare possit damnationem, & *damnet, atque afferat nunc quoque æternam mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum Sanctum*, juxta verba *Aug. Confess.* Art. II.

§. 10. *Peccata* tandem *actualia* peccati originalis effectus & consequentia esse, Paulus elegantèr docet *Rom.* VI, 6. ubi peccatũ hoc nuncupat *corpus* (quoad in hac infirmitate fieri potest, destruendum

dum ac extirpandum, ut è peccati servili jugo emancipemur.) Originale enim peccatum ibi corporis nomine venit non solùm, quòd (ut B. *Chemnitius* Loc. Theol. Part. I. Loc. de Pecc. Orig. cap I. p. m. 547. explicat) totam hominis substantiam occupet ac inficiat, sed inprimis quòd (B. *Balduinô* ad cap. VI. *Rom.* scitè observante) non aliter, ac si esset corpus quoddam vivum, in homine vires suas per actualia peccata, velut per sua membra, exerat: Laudatus quippe Apostolus *Col.* III, 5. actualia peccata expressè *membrorum* nomine appellitat, cùm *Mortificate*, ait, *membra vestra, quæ super terram, fornicationem, immunditiam, mollitiem, concupiscentiam malam, & avaritiam.*

§. II. Speciatim peccata actualia *omissionis* ex originaria labe provenire, distinctiùs ostendit Apostolus *Ebr.* XII, 1. ubi peccatum originis non tantùm ὄγκον, h. e. *onus* seu *gravamen*, verùm etiam τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, h. e. *peccatum validè & vehementer* (siquidem, annotante *Varinô* particulâ περι usurpatur ἀντὶ τοῦ ἰσχυρῶς) *nos amplectens & circumcingens* nominat. Videlicet peccatum originis dicitur *onus*, quòd grave velut pondus nos impediat, ne expeditô & concitatô cursu in vera pietate pergamus, honestasque actiones obeamus, atque *peccatum validè & vehementer nos amplectens & circumcingens* nuncupatur, quòd instar lacinioſæ vestis currentium pedes involventis (quæ, cùm currentibus impedimento sit, ante cursum deponi solet) nobis in pietatis stadio currentibus validam remoram injiciat. Minimè verò curamus hîc *Bellarmi-*

num

num, qui Libr. V. de amiss. grat. cap. XI. contendit, per onus illud & per peccatum istud ἐυπερίϛατον *concupiscentiam penitùs inhærentem* (h. e. peccatum originis) eò non posse intelligi, quòd (1) *ad illud pondus peccatumque* ἐυπερίϛατον *deponendum Apostolus cohortetur, concupiscentia autem penitùs inhærens*, seu prava concupiscentia habitualis, *deponi nequeat*; (2) quòd *per peccatum* ἐυπερίϛατον *Paulus sine dubio aliquid extrinsecum*, e. gr. *occasiones & pericula peccandi, & extrinsecas tentationes intelligat, concupiscentia verò non sit quid extrinsecum, sed res maximè intrinseca.* Quod enim ad primam *Bellarmini* rationem attinet, prava concupiscentia habitualis non tantùm *in se* & *quoad esse suum* quadantenus, cùm in renovatione magis magisque imminuatur & extirpetur, sed & omninò *ratione dominii*, quatenus renati dominium ipsi non permittunt, deponi utique potest. Quod verò ad alteram *Bellarmini* rationem spectat, negamus nos, Paulum hîc per τὴν ἐυπερίϛατον ἁμαρτίαν intelligere præcisè aliquid extrinsecum. Cùm enim Apostolus ducat metaphoram ab iis, qui in stadio decurrunt, quibus duo præcipuè sunt cavenda, nempe ut non graventur aliquô onere, & ut non impediantur in cursu ab aliquo obstaculo, per τὸ ἐυπερίϛατον non præcisè aliquid homini extrinsecum, sed quod ipsum in pietatis stadio decurrentem instar lacinios æ vestis currentium tibiis cruribusquè circumplicatæ validè sufflaminat. Speciatim occasiones & pericula peccandi per τὴν ἐυπερίϛατον ἁμαρτίαν hîc minimè designari, vel exinde manifesto

festum est, quòd occasio & periculum peccandi non illicò peccatum sit. Nec verò tentationes nobis extrinsecæ τῆς ἐυπεριςάτε ἁμαρτίας nomine hîc indigitantur. Hoc enim peccatum deponere jubet Apostolus, tentationes autem extrinsecas, quia tentatis ipsis haud adhærent, non tentatæ, sed tentantes personæ deponere ac intermittere dicuntur.

§. 12. Tantam autem vim ac efficaciam originale peccatum in ordine ad causanda peccata hominis actualia exerit, ut voluntas nostra non habeat potestatem evitandi motus illos actusque pravos subitaneos, qui absque prævia deliberatione præter voluntatis consensum non solùm in homine ante conversionem, sed & post conversionem exoriri solent. Isti enim motus hôc ipsô, quòd subitò absque prævia deliberatione ac citra voluntatis consensum oboriuntur, non ita sunt in voluntatis nostræ potestate, ut à nobis pro lubitu suscipi æquè ac intermitti queant. Quid? quod originalis nequitia tantâ vi peccata actualia progignat, ut voluntas nostra ne quidem omni deliberato actu, qui etiam ex naturæ lumine tanquam pravus cognoscitur, prorsus supersedere possit. Licet enim voluntas nostra quemlibet hujusmodi actum in individuo exerceat non necessariò, sed liberè, seu ita, ut possit eum non exercere (quia aliàs actus ille non esset deliberatus, cùm quæ necessaria sunt, quà talia, sub deliberationem non cadant docente etiam *Aristotele* Libr. III. *Nic.* c. III.); aliquos tamen peccati actus deliberatos non potest non exercere, seu

seu efficere non potest, quin in aliquem actum pravum deliberatum feratur.

§. 13. B. *Bajerus* noster *Theol. Posit. Part.* II. *cap.* II. §. XIII. ad originalis peccati effectus refert quoque naturâ insitum *Liberi Arbitrii in spiritualibus defectum*, & connatam ejus *in naturalibus infirmitatem*. Sed mala illa potiùs ad naturam formalemque rationem, quàm ad effectus originalis peccati, pertinere existimamus. Cujus sententiæ veritas ex iis oppidò patescit, quæ superiùs de peccato originis, ut ex parte intellectus, voluntatis & appetitus sensitivi locum habet, edisseruimus.

§. 14. De cætero disertiùs paulò exponendum hîc est, quale malum per Liberi Arbitrii in spiritualibus defectum hîc intelligatur. Illud verò negotium expediri nequit, nisi doceamus primùm, quid in genere sit Liberum Arbitrium, quidve Liberum in spiritualibus Arbitrium dicatur.

§. 15. Nimirum liberum arbitrium, formaliter & abstractivè sumtum, est ipsa *à necessitate libertas*, voluntati intrinsecè competens, h. e. potentia, quâ voluntas, positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere & non agere, agere hoc & agere illud, potestque se ad alterutrum oppositorum pro lubitu determinare. Quam doctrinam in *Philosophia* nostra *Morali* pag. 299. seqq. ex instituto vindicavimus contra *Reformatos*, quippe qui liberi arbitrii formalem rationem non in voluntatis libertate à necessitate, seu in potentia, positis omnibus ad agendum prærequisitis, sese ad alterutrum oppositorum pro lubitu determinandi, sed in spon-

spontaneitate tantùm, seu in eo, quòd voluntas hominis agat non coacta, h. e. contra inclinationem suam externô motu ad agendum non trahatur: Quam pestilentem, & (ut etiam ex *Politicorum* choro *Samuel Pufendorffius* Libr. I. de Jur. Nat. & Gent. c. IV. §. 3. sapienter judicat) omnem *actionum humanarum moralitatem funditùs tollentem* Reformatorum opinionem Professor hodiernus Jenensis, D. *Joh. Franciscus Buddeus*, in Phil. Pract. Libr. I. c. 3. in tantum amplectitur, quatenus facultatem, quâ positis omnibus ad agendum requisitis, ex pluribus objectis propositis unum vel aliqua potest eligere, reliqua rejicere, aut uno duntaxat proposito id admittere & non admittere, agere & non agere, voluntati cum Reformatorum secta abjudicat, ac voluntatem æquè ut intellectum pro potentia agendi necessaria habet. Nos verò uti dolemus vehementer, gravem illum *Reformatorum* errorem in Lutherana Ecclesia à Doctore Publico palàm propugnari, ita *Buddeanas* rationes in peculiari scripto propediem σὺν τῷ Θεῷ examinabimus.

§. 16. Cæterùm ostensô nunc, quid in genere sit liberum arbitrium, evadit porrò manifestum, liberum in spiritualibus arbitrium propriè & formaliter consistere in viribus voluntati intrinsecè convenientibus, queis voluntas bona spiritualia potest appetere & non appetere, velle & aversari. Atque hujusmodi liberum arbitrium homini ex se & in natura sua spectato nequaquam competit, cùm ho-

homo ex se & naturaliter nullis planè viribus spiritualia bona volendi & appetendi polleat.

§. 17. Et quia ex parte intellectus ad voluntatis libertatem cognitio objecti prærequiritur, ideò etiam liberum in spiritualibus arbitrium ex parte intellectus præsuppositivè importat vires objecta spiritualia distinctè & cum assensu cognoscendi.

§. 18. Quando igitur omnimodum in spiritualibus liberi arbitrii defectum homini ex se, & qualis per naturam est, spectato attribuimus, significamus sanè, homini ex se & naturaliter nec ex parte voluntatis vires, queis, positis omnibus ad agendum prærequisitis, bona spiritualia appetere & non appetere, velle & aversari pro lubitu queat, nec ex parte intellectus facultatem bona illa credendi, seu cum assensu cognoscendi competere.

Th. XXIII.

Affectiones peccati originalis sunt 1. *Tenacitas* maxima, quâ omni homini carnaliter genito per omnem vitam pertinacissimè adhæret; 2. *Propagibilitas* ejusdem *per naturalem generationem.*

§. 1. Maxima illa peccati originalis tenacitas probatur potissimùm hôc argumentô: *Si Paulo jam converso, séque indies renovanti peccatum originale adhæsit, sequitur, quòd peccatum illud cuicunque homini carnaliter genito per totam vitam pertinacissimè inhæreat.* Antecedens argumenti demonstratur ex *Rom.* c. VII. v. 17. ubi conqueritur Apostolus, habitare in se peccatum, ex quo motus con-

concupiscentiæ pravi subitò exorientes & indeliberati proveniant. Hoc quippe inhabitans peccatum est congenita totius naturæ ad pravum habitualis inclinatio, id est, peccatum originis. Consequentia ex eo manifesta est, quòd, si originale peccatum, *in se* & *quoad esse suum* consideratum, unquam in ullo homine penitùs aboleretur, certè in sanctis per regenerationem, conversionem & renovationem id fieret.

§. 2. Ut altera, cujus thesis nostra meminit, peccati originalis affectio plenius intelligatur, annotandum (1), quòd peccatum originis à parentibus ad posteros per carnalem generationem propagetur; (2) quomodo per istiusmodi generationem à parentibus ad liberos derivetur.

§. 3. Originale peccatum per carnalem generationem à parentibus ad posteros propagari, vel ex *nominis significatu* patescit. Nam peccatum illud dicitur *originale*, quòd unicuivis ex posteris Adæ inde jam à prima origine, id est, à conceptione insit. At verò non apparet, quâ ratione peccatum aliquod homini inde jam ab origine prima & à conceptione inesse possit, nisi ad ipsum per carnalem generationem à generantibus actu transfundatur.

§. 4. Id ipsum assertum (quòd scil. *peccatum originale per carnalem generationem à parentibus ad posteros transmittatur*) hôcce confirmatur argumentô: *Quicunque cum iniquitate formantur, & cum peccato à matre sua in utero foventur, illis peccatum non modò inde à prima origine inest, sed & per carnalem genera-*

tionem communicatur. Atqui omnes homines, naturaliter ex Adamo descendentes, cum iniquitate formantur, & cum peccato à matre sua in utero foventur. Ergò omnibus hominibus, naturaliter ex Adamo descendentibus, peccatum non modò inde à prima origine inest, sed & per carnalem generationem communicatur. Majoris propositionis veritas ex eo evidens est, quòd ad naturalem generationem foetûs conceptio atque uterina calefactio pertineat. Minor liquet ex *Psalm.* LI, 7. ubi fatetur David, *se in iniquitate* (seu cum perversitate) *formatum, & in peccato* (s. cum peccato) *à matre sua calefactum esse.* Certè enim naturalis nativitatis & generationis hominum una eademque ratio est in omnibus omninò hominibus ab Adamo per carnalem generationem dependentibus. Sicut igitur ex eo, quod David cum corpore organico animaque rationali natus est, ob specificam naturalis nativitatis identitatem rectè infertur, omnes homines cum corpore organico & anima intelligente nasci: ita quando David de se affirmat, quòd cum iniquitate formatus, & cum peccato à sua genitrice calefactus sit, id ipsum de omnibus omninò hominibus asserendum est.

§. 5. *Modus* peccatum originale propagandi partim (nempe quoad justitiæ originalis carentiam) est *negativus*, partim (nimirum quoad concupiscentiam pravam) est *positivus*. Negativè enim originalis justitiæ privatio propagatur, quatenus parentes, dum sobolem generant, non simul originalem justitiam, quippe quâ ipsi destituuntur, in & cum ea producunt. Positivè autem concupiscentia

tia prava propagatur, quatenus parentes, quando procreant sobolem, simul in & cum ea totius naturæ habitualem ad mala inclinationem efficienter producunt.

§. 6. Distinctiùs verò, ac pleniùs illum propagationis modum cognoscere haud valemus. Huc quippe referri potest, quod B. *Chemnitius* LL. Theol. Loc. de Pecc. Orig. c. IV. p. m. 581. scribit: *Quomodo malum illud* (peccatum originis) *contrahat anima, salvâ fide potest ignorari: Quia Spiritus Sanctus non voluit hoc certis & perspicuis Scripturæ testimoniis patefacere.*

§. 7. Sic & opera illa, quam quis in acquirenda distinctiori ac pleniori modi istius notitiâ ponit, curiosa magis est, quàm fructuosa. Huc enim pertinet, quod *Augustinus* olim Libr. II. de peccat. merit. cap. 36. dixit: *Ubi de re obscurissima tractatur non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumtio, nihil faciens in partem alteram declinando.*

§. 8. Cæterùm ex eo, quòd peccatum originis per carnalem generationem à parentibus ad liberos propagatur, per liquidam & irrefragabilem consequentiam colligimus, *animam hominis* non immediatè à Deo creari, sed *à parentibus in liberos propagari.* Propagatô enim eô, quod primò, per se & immediatè in anima residet, atque adeò extra animam in homine locum non habet, ipsam quoque animam à parentibus in liberos propagari necesse est. Atqui partim superiùs in doctrina de

peccati originalis *Subjecto*, partim hactenus in tractatu de illius peccati *Affectionibus*, demonstratum dedimus, originale peccatum non tantùm primò, per se, & immediatè esse in anima, sed & à parentibus in liberos per naturalem generationem traduci. Scitè ac nervosè B. noster *Gerhardus*, cujus candidum sobriumque judicium hîc semper assectati amplexique sumus, in *Confess. Cathol.* Libr. II. Part. III. art. XXI. cap. III. *Propagatio*, inquit, *peccati originalis ostendit, animas humanas non immediatè à Deo creari, sed à parentibus in liberos propagari.* Sunt & insignis ponderis argumenta, quæ consummatissimus hic Theologus pro adstruenda ista humanarum animarum origine (1) ex *divina benedictione*, (2) ex *hominis reparatione*, (3) ex *absurdorum consecutione*, ibidem depromsit. Cujusmodi rationes validæ jam olim B. *Lutherum* haud dubiè commoverunt, ut magis eam sententiam, quæ animam à parentibus in sobolem propagari ait, probaret. *Lutherus in disputationibus concluſit, se publicè nihil velle affirmare de ista quæstione, sed privatim apud se tenere sententiam de traduce*: verba sunt B. *Chemnitii* LL. Theol. Loc. de Pecc. Orig. c. IV. p. m. 581. Sic & B. *David Chytræus* in Libr. de vit. & mort. Luth. Part. II. pag. 26. scribit: *Lutherum magis in eorum sententiam, qui ex traduce propagari animas senserunt, inclinasse, in postrema disputatione ab ipso habita Ann.* 1545. *ipse ex ore ejus audivi.*

§. 9. Hic igitur apertum B. nostri *Gerhardi* judicium B. *Musæi* Ausführliche Erklärung pag. 301. seqq. cum Augustino in hac re τὸ ἐπέχειν ma-

len-

lentis cunctationi meritò anteferimus. Nec enim perspicere licet, quomodo, negatâ aut in dubium vocatâ animarum humanarum propagatione, peccati originis propagabilitas naturalis evinci solidè possit. Hinc ipse *Augustinus* Epist. 27. & 157. confitetur ingenuè, expertum se esse, quòd *neque legendò, neque orandò, neque ratiocinandò inveniri possit, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur.*

Th. XXIV.

Accidit tandem originali peccato, quòd in hominibus quibusdam regnat, in aliis non regnat.

§. 1. *Regnare* dicitur peccatum originale, quando homo promtè & ex deliberato animi proposito agit omne id, ad quod ab habituali & connata ad pravum inclinatione exstimulatur & impellitur; tum verò *non regnare*, quando homo pravis motibus, quos connata ad pravum inclinatio excitat, non delectatur, neque iis consentit, sed ipsos potiùs odit, detestatur & supprimit.

§. 2. Quando peccatum originale non regnat, homo *peccato dominari* Gen. IV, 7. & *spiritu ambulare*, ac *desideria carnis non perficere* Gal. V, 16. dicitur. Quando autem regnat, tum instar custodis, qui intra ostium domus, non ante fores, cubare solet, *ad ostium cubare Gen.* IV, 7. perhibetur. *Quando homo non ritè ad Deum accedit, & pro remissione peccatorum orat, quod in V. T. cum sacrificiis fiebat, tum peccatum non expellitur è domo cordis*

dis humani, aut toto homine, sed manet cubans ad ostium intus, & hominem possidet, regnatque in illo: verba sunt B. *Sebastiani Schmidii* in Colleg. Bibl. pr. Loc. IX. Dict. I. §. 13.

§. 3. Uti autem peccatum originale in irregenitis dominatur, ita in renatis, quamdiu in statu renascentiæ perfistunt, non regnat. *Renati* enim *sentiunt quidem stimulum concupiscentiæ, sed ei resistunt, ne in nervum erumpat, quia regimen Spiritus Sancti & exercitium pietatis continuum frena carni injicit:* ut piè scribit B. *Balduinus* in Comment. ad Gal. c. V. v. 16.

§. 4. Dixi autem studiô in thesi, *aecidere* originali peccato, quod hîc regnat, illic non regnat. Licet enim peccatum illud *per se & suapte naturâ* tendat ad dominium in omnibus hominibus carnaliter natis exercendum, tamen in certis quibusdam hominibus per gratiam Dei & Spiritus Sancti regimen cohibetur, ne dominari queat.

Th. XXV.

Describi potest peccatum originis, *totaliter* acceptum,) quòd sit *complexus plurium malorum congenitorum, in justitiæ originalis carentia & connata concupiscentiæ prava consistens, ex primis parentibus in omnes posteros per carnalem generationem propagatus, per intellectum, voluntatem, appetitum sensitivum ipsaque corporis membra se diffundens, omnesque homines carnaliter natos æternis & temporalibus pœnis subjiciens, nisi renascantur ex aqua & Spiritu, adeoque remissionem consequantur.*

§. 1.

1. Sicut justitia originalis, seu Imago divina specialiter accepta (docente ipsô B. *Bajerô* in *Comp. Th. Pos.* P. I. c. IV. §. XIX.) in casu recto est complexus omnium perfectionum accidentalium & habitualium, quæ homini primo ad vitam per omnia rectè, divinæque voluntati conformiter gerendam debitæ ac necessariæ erant: ita peccatum originis (totaliter acceptum,) quod in locum ejus successit, in *casu recto* est *plurium malorum congenitorum complexus*, qui *Melanchthoni* dicitur *magna malorum confusio*, *eô modô* sic appellata, *quô multi morbi simul esse dicuntur*. Unde apparet statim, nos minimè hîc adstipulari B. *Bajero*, qui l. c. Part. II. c. II. §. XV. not. [a] docet, quòd peccatum originis in casu recto significet saltem justitiæ originalis carentiam. Cui sanè doctrinæ ipsa *Augustanæ Confessionis Apologia* refragatur. Hæc enim ad art. II. pag. 55. collaudat illud *Bonaventuræ* dictum: *Cùm quæritur, quid sit originale peccatum, rectè respondetur, quòd sit concupiscentia immoderata. Rectè etiam respondetur, quòd sit debitæ justitiæ carentia.*

§. 2. Illorum verò malorum, quæ ad peccatum originis (totaliter acceptum) constituendum concurrunt, quodlibet peccati verè ac propriè dicti rationem habet, cùm naturæ rationali quà tali, ac legi Dei æternæ per se, suamque formalem rationem disconveniat. Certè enim justitiæ originalis carentia, quin imò connata menti ignorantia & cœcitas, quam privatio illa seu carentia includit, est *verè* ac *propriè dictum peccatum*. Sic & congenitam nobis concupiscentiam pravam verè ac

propriè dicti peccati rationem habere, in superioribus demonstratum fuit.

§. 3. Quid? quòd malorum istorum, quæ peccatum originale (ὁλικῶς acceptum) ambitu suo complectitur, unumquodque verè ac propriè sit peccatum originale (partialiter sumtum:) Quodlibet enim unicuivis ex posteris Adæ inde jam à prima origine inest. Sic igitur non solùm justitiæ originalis carentia seorsim spectata, sed & concupiscentia prava sigillatim sumta, est originale peccatum: Quin imò quævis partialis ad malum inclinatio connata, quam tota congenita concupiscentia involvit, e. gr. aversio voluntatis, contumacia appetitus sensitivi &c. propriè loquendo & in casu recto est peccatum originis (partialiter sumtum.) Scilicet peccatum originis totaliter acceptum se habet quasi ut totum homogeneum, h. e. ut totum, cujus partes sunt ejusdem naturæ & rationis, quodque cum suis partibus ejusdem rationis est. Nam plura illa congenita mala non tantùm eatenus, quatenus quodlibet seorsim spectatum est peccatum inde statim à prima origine nobis adhærens, inter se ejusdem sunt naturæ, sed & cum peccato originis totaliter accepto, si præcisè ut peccatum originale consideretur, eandem habent rationem, cùm, sicut peccatum originis totaliter acceptum verè ac propriè loquendò est peccatum, quod inde jam à prima origine omnibus Adæ posteris inest, & ex primis parentibus in omnes posteros per carnalem generationem propagatur, ita quodlibet particulare congenitum malum talem rationem habeat.

§. 4.

§. 4. Manifestum igitur evadit, peccatum originis *partialiter* sumtum esse partiale quoddam nobis congenitum malum, peccati verè ac propriè dicti rationem habens, & ex primis parentibus in omnes posteros per carnalem generationem propagatum. Cujusmodi peccatum originis est e. gr. connata justitiæ originalis carentia, aut congenita voluntatis aversio, aut innata appetitus sensitivi contumacia.

§. 5. Constat etiam ex hactenus dictis, peccatum originale, prout à peccato originis cùm totaliter, tùm partialiter accepto abstrahitur, esse verum quoddam ac propriè dictum peccatum, quod inde statim à conceptione & nativitate homini cuilibet carnaliter progenito inhæret, ad omnes primorum parentum posteros propter ipsorum lapsum transfunditur, & adfert æternam mortem his, qui ex aqua & Spiritu non renascuntur.

§. 6. Definitio autem peccati originalis totaliter accepti, quam thesis nostra exhibet, tria potissimùm membra complectitur, quæ sunt *justitiæ originalis carentia*, *concupiscentia prava*, & *reatus*. Quæ tria membra, cùm sic multi articuli illustrentur, in peccati originalis definitione studiosè retinenda esse, sedulò monet B. *Chemnitius* LL. Theol. Loc. de Pecc. Orig. cap. II. p. m. 562. seq.

LOCUS III.
DE
PECCATIS ACTUALIBUS.

Th. I.

CAusæ *efficientes* peccatorum actualium non tantùm sunt ipsi homines peccatores peccata actualia immediatè patrantes, sed & aliæ quædam res tùm extra, tùm intra homines illos peccantes deprehensæ. Extra hominem sunt diabolus, impii, qui mundi nomine appellantur, homines, & suo modo præcedentia peccata actualia transeuntia; intra hominem verò sunt corrupta hominis natura, ignorantia intellectus, malitia voluntatis, & suo quodam modo prævia peccata actualia immanentia.

Th. II.

Hominem peccatorem peccati actualis, quod immediatè patrat, e. gr. adulterũ adulterii, homicidam homicidii furem, furti &c. causam efficientem rectè ac usitatè vocari, ex eo claret, quòd in disciplinis practicis ipsum agens, seu ipsa agentis persona, actionis causa efficiens dici assoleat. Vid. nostra *Philosoph. Prima* Part. III. Sect. II. c. IV. Th. II.

Th.

Th. III.

Diabolum peccatorum hominis actualium causam efficientem esse, in Loco Theolog. de *Peccato in genere* Thes. XX. §. 4. demonstravimus.

Th. IV.

Diabolus autem peccati actualis humani causa evadit variis modis: nempe [1] *proponendo homini objecta ad peccatum invitantia*, [2] *svadendo* (h. e. argumenta, quibus homo ad peccatum moveri queat, insusurrando,) [3] *consulendo* (h. e. viam & rationem, qua peccatum actuale patrari possit, ostendendo,) [4] *excitando* in phantasia certas *imaginationes*, & mediantibus illis in appetitu *affectus* varios ad peccatum exstimulantes. Vid. omnino B. *Bajerus* in Comp. Theol. Pos. Part. II. c. III. §. VI.

Th. V.

Neutiquam verò Diabolus peccati actualis humani causa est per *determinationem*, seu per hoc, quòd hominem ad peccatum ita moveat, ut is non possit non peccare.

Cuicunque enim *ad peccatum incitanti homines ita resistere possunt, ut ipsius conatus irriti fiant, is homines ad peccatum non determinat*, (seu hominibus peccandi necessitatem non imponit.) *Atqui Diabolo ad peccatum incitanti homines ita resistere possunt, ut ipsius conatus irriti fiant. Ergò* &c. Minor liquet

quet ex *Jac.* IV, 7. ubi homines Diabolo, ut fugiat ab ipsis, resistere posse dicuntur. Confer. *Eph.* VI, 11. 12. 13. I. *Petr.* V, 9. Majoris propositionis veritas vel ex terminis patescit. Determinatus enim determinanti seu necessitanti ita resistere haud valet, ut actus, ad quem determinatur aliquis, non consequatur.

Th. VI.

Homines impios, *mundi* nomine venientes, eorum actualium peccatorum, quæ patrant alii, causas efficientes esse, tot seductionum exempla, in Scripturis Sacris 1. *Reg.* XV, 24. 1. *Reg.* XI, 3. 1. *Reg.* XXII, 21. seqq. 2. *Chron.* XVIII, 19. seqq. ac aliàs passim obvia, ostendunt.

Th. VII.

Quando homines exemplô suô inducunt alios ad peccandum, *scandala* absolutè & simpliciter sic vocata, seu scandala data, venire speciatim dicuntur.

Th. VIII.

Scandali vox hîc non propriè, sed *metaphoricè* accipitur, nec in metaphorico hoc sensu *scandalum* personale, sed *reale*, & quidem scandalum reale *datum* designat.

§. 1. *Erasmus* Annotat. in cap. XVIII. Matth. & *Philippus Melanchthon* LL. Theol. Loc. de Scand. p. m. 642. tradunt, vocabulum Græcum σκάνδαλον

à

à verbo σκάζω (*claudico*) deflexum esse, quòd significet objectum aliquod offendiculum, quod claudicare & in ruinam tendere cogit: Qualia in viis publicis & militantibus solent esse saxa eminentia vel pedicæ per insidias collocatæ, in quas impingentes trepidant, vel planè corruunt. Sed vox illa *Johanni Caspari Svicero* in Thesaur. Ecclesiast. originem potiùs exoticam sapere, atque immutatione levìusculâ ab Hebræo verbo כָּשַׁל (*impegit, lapsus est*) sive ab Hebræo nomine מִכְשׁוֹל (quod idem est quod offendiculum, offensa) deducta esse videtur.

§. 2. Quamvis verò Græca illa vox rara sit, & (observante ibidem *Svicerò*) vix alibi, quàm in Scripturis Sacris, aut earum versionibus legatur, de ejus tamen significatu non adeò difficulter constare potest. Dicunt Grammatici quidam, σκάνδαλον propriè esse lignum incurvum, quô tendicula seu decipula sustinetur, & in quod impingens animal ipsam tendiculam seu decipulam super se subitâ ruinâ prosternit. Sed rectiùs opinantur alii, σκάνδαλον *propriè* significare *quodvis impedimentum* sive obstaculum, *ad quod in ambulando aliquis impingit, ita, ut ipsi grave sit ac molestum, quatenus pedem vel aliud membrum ambulantis lædit, aut eundem prosternit, aut ipsum ab instituto cursu prohibet.* Ut enim τὸ προσκόπτειν (offendere, impingere) & σκανδαλίζεσθαι æquipollentia esse, liquidò apparet ex *Rom.* XIV, 21. ubi dicitur: ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει, ἢ σκανδαλίζεται· ita etiam τὸ πρόσ-

κομ-

κομμα & σκάνδαλον Scriptores sacri *Rom.* IX, 33. *1. Petr.* II, 7. ubi Christum λίθον προσκόμματος, h. e. *lapidem offensionis* (seu lapidem, qui est offendiculum, ad quod quis impingit) & πέτραν σκανδάλου, i. e. *petram scandali* (seu petram, quæ est scandalum) appellitant. Quemadmodum verò προσκομμα propriè denotat quodvis offendiculum seu obstaculum, in via positum, ad quod aliquis in ambulando impingit & offenditur; ita eadem est synonymæ vocis σκανδάλου propria significatio. Quem significatum scitè declarat *Chrysostomus* Homil. LIX. in Matth. ubi ait: Σκάνδαλά ἐστι κωλύματα τῆς ὁδοῦ τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ, h. e. *scandala sunt impedimenta in recta via posita.* Cujusmodi significatio occurrit etiam in Libro *Judith* cap. V. v. 1. ubi de filiis Israël affirmatur, quòd accessus regionis montanæ occluserint, murisque omnem montis excelsi verticem firmarint, & disposuerint ἐν πεδίοις σκάνδαλα, h. e. *in solo* vel in agris *res, ad quas impingeret* (scil. hostis Holophernes.)

§. 2. Per *metaphoram*, à corpore ad animum translatam, vox σκάνδαλον in Novo Testamento varia significat. Nunc enim quamvis rem, quæ alii molesta est, atque adeò displicet, aut tale quid facit, quod alteri grave ac molestum est, denotat: Nunc unamquamque rem designat, quæ alteri perniciem aut detrimentum adfert, vel perniciei occasionem præbet: Nunc omne illud, quod alicui peccandi vel errandi occasionem (sive causaliter, sive eventualiter) præbet, indigitat.

§. 4.

§. 4. Rem, quæ alii molesta est, atque adeò displicet, aut hominem, qui tale quid facit, quod alteri grave ac molestum est, vox *scandali* notat, cùm Christus Petro, dehortari ipsum volenti, ne subiret passionem, *Matth.* XVI, 23. dicit: Σκάνδαλόν μοῦ εἶ, h. e. *scandalum mihi es.* Hîc quippe innuit Salvator, Petrum, dum id agat & conetur, ut Christum ab oppetenda morte, atque adeò à redimendo genere humano, abducat, tale quid facere, quod Christo perquam molestum sit ac valdè displiceat. Quam Salvatoris mentem verba ejus proximè subjuncta: *Vade post me, Satana, quia non sapis ea, quæ Dei, sed ea, quæ hominum sunt*, haud obscurè ostendunt. Sic quippe subinnuit Christus, ideò Petrum dixisse ea, quæ ipsi molesta sint & displiceant, quòd in illis, quæ dixerat, ea, quæ Dei sunt, minimè sapiat, sed ea duntaxat, quæ hominum sunt. Illam ipsam Salvatoris sententiam jam olim *Basilius* in Moralibus reg. XXXIII. cap. II. p. m. 311. eruditè animadvertit. Postquam enim scripsit: Πᾶν τὸ ἀντικείμενον τῷ τοῦ Κυρίου θελήματι, σκάνδαλόν ἐστι, h. e. *quicquid voluntati Domini adversatur, scandalum est*; statim hoc ipsum Petri exemplum subjicit. Eôdem sensu vocabulum σκάνδαλον usurpare videtur Paulus 1. *Cor.* I, 23. ubi se *prædicare* ait *Christum crucifixum, qui Judæis sit scandalum, Græcis autem stultitia.* Ibi enim significat Apostolus, suam de Christo crucifixo doctrinam Judæis admodùm esse gravem & molestam, eosque vehementer offendere,

quòd

quòd immane quantum indignentur omnibus, qui prædicant, eum esse Messiam, qui publico in judicio capitis fuit damnatus, & inter sceleratos reputatus; à gentilibus verò tanquam fabulam & inane commentum, ab obscuris & indoctis hominibus prolatum, exagitari & derideri.

§. 5. Rem, quæ alteri perniciem aut detrimentum adfert, vel perniciei occasionem præbet, vox *scandali* Rom. IX, 33. 1. Petr. II, 7. designat, ubi Christus πέτρα σκανδάλου vocatur. Tunc enim *petra, quæ est scandalum*, Christus esse perhibetur, quòd Judæis occasionem perniciei præbeat, quatenus ipsi, cùm illum per infidelitatem rejiciant, capita collidunt, atque ita æternam sibi perniciem attrahunt. Scilicet Christus scandalum est Judæis non *causaliter*, (seu Judæis non ita est scandalum, ut sit perniciei eorum causa:) Positus enim est à Patre æterno in Ecclesiam non in hunc finem, ut offenderentur ruerentque per peccatum homines, sed ut erigerentur lapsi & sustentarentur stantes; verùm *occasionaliter* & *eventualiter*, quatenus impii inde occasionem sumunt æternas sibi pœnas attrahendi, ac quia per accidens ita solet evenire, ut impii ac infideles in illo offendantur, & sua quasi capita confringant. Id quod *Theophylactus* in Cap. IX. ad Roman. scitè annotat, cùm ait: Λίθον δὲ προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου ἀπὸ τοῦ τέλους καὶ τῆς ἐκβάσεως λέγων ἀπιστησάντων ἀνόμασαι ὁ χριστός. Αὐτὸς γὰρ καθ' ἑαυτὸν θεμέλιος καὶ ἑδραίωμα ἐτέθη, h. e. *Lapidem an-*

autem offensionis & petra scandali à fine & EVENTV eorum, qui non crediderunt, Christus nominatus est. Ipse enim PER SE fundamentum basisque positus est.

§. 6. Scandalum in tertio significatu acceptum (quatenus nempe omne illud denotat, quod alicui occasionem peccandi vel errandi præbet) est vel *personale*, vel *reale*.

§. 7. Scandalum *personale* est persona scandalizans, h. e. persona, quæ dicit vel facit aliquid, quod alteri peccandi vel errandi ansam exhibet. Cujusmodi scandalum *Matth.* XIII, 14. intelligitur, ubi *Angeli è regno Christi omnia scandala collecturi* dicuntur.

§. 8. Scandalum *reale* est vel operatio quædam, vel alia quædam res operationi ac personæ contradistincta, quæ dat alicui occasionem peccandi vel errandi.

§. 9. *Operatio* illa, quæ est scandalum, vel est scandalum *datum*, vel scandalum *acceptum*.

§. 10. Scandalum *datum* est *dictum vel factum malum, quò aliquis vel in vita* (ut à bono abstrahatur, & ad malum aliàs non adeò facilè peragendum perducatur) *vel in doctrina* (ut à cœlesti veritate abducatur, & ad errorum præcipitia abripiatur, aut de vera doctrina siniſtrè suspicetur) *deterior redditur, aut certè reddi potest.* Assero (1) de scandalo dato, quòd sit *dictum vel factum*. Vox dicti in eo hîc sumitur ambitu, ut non tantùm dicta positiva, præcepto Dei negativo vetita, sed & dictorum positivorum, quæ vi præcepti divini

affirmativi proferenda erant, omisſiones, e. gr. elenchi neceſſarii omisſionem, ſub ſe complectatur. Sic & vocabulum *facti* tàm latè hîc accipitur, ut earum quoque actionum, quæ vi præcepti divini affirmativi ſuſcipiendæ erant, e. gr. cultus divini publici, omisſionem ſub ſe comprehendat. Dico (2), quòd ſcandalum datum ſit dictum vel factum *malum*. Illud autem dictum vel factum, quod ſcandali nomine venit, quandoque eſt *per ſe* malum, quandoque malum per *accidens*. Scandalum, qvod eſt factum per ſe malum, erat e. gr. adulterium Davidis, quòd inimicos Domini conviciari faciebat 2. *Sam.* XII, 14. Scandalum verò, quod eſt factum aliquod per accidens malum, erat e. gr. comeſtio illa, quâ fideles ex gentibus, infirmitati eorum, qui ex Judæis crediderant, non ſatis ſe accommodantes, in eorum præſentia eſculenta omnia ſine diſcrimine capiebant. Ea enim comeſtio, etſi per ſe non eſſet mala, per accidens tamen prava evadebat, quatenus charitati adverſabatur Chriſtianæ, quippe quæ (ut B. *Leonh. Hutterus* LL. Theol. Loc. XXVIII. fol. 915. docet ac loquitur) *tanquam infallibilis regula ac cynoſuræ facem quaſi præfert, quomodo moderari debeas libertatem tuam*, ac injungit omninò, ut, *quicquid in genere actionum liberarum & indifferentium à te ſuſcipitur, fiat ſine periculo gloriæ Dei*, ſine proximi (ſed infirmi in fide) detrimento. Quocirca Apoſtolus *Rom.* XIV, 13. poſtquam præcepit, ut unusquisque pro eo, quod tàm prompti ſumus in aliis judicandis, de ſeipſo ſit ſolicitus, & in hoc judi-

judicium adhibeat, ne proximo in rerum indifferentium usu scandalo sit (h. e. ne proximum per rerum illarum usum in conscientia turbet, dubiumque in religione reddat, & animum ejus ita implicet, ut nesciat, num rectè credat vel faciat,) vers. 15. subdit : *Si propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas : Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Dico in scandali dati descriptione (3): Dictum vel factum, quô *aliquis* deterior redditur. Nec enim ad scandalum datum requiritur, ut alterum à scandalizante reverà diversum reddat deteriorem. Quandoque enim accidit, ut scandalum istud illum ipsum hominem, cujus dictum vel factum scandali nomine venit, deteriorem faciat, atque adeò quis sibi ipsi scandalum præbeat, ut cùm quis eundem actum peccaminosum crebriùs repetit, eoque pacto peccandi habitum in seipso progignit. Dico in descriptione (4): Quo aliquis deterior redditur, aut certè reddi *potest*. Neque enim requiritur ad datum scandalum, ut *actu* alterum deteriorem reddat : nam quando quis e. gr. errorem quendam publicè defendit, nemo autem ab eo seduci aut turbari se patitur, illa erroris defensio est scandalum, etsi alium in doctrina reapse non reddat deteriorem. Sufficit igitur ad datum scandalum, si naturâ suâ tale sit, ut alter inde reddi possit deterior. Vid. *Thomas* 2. 2. qv. 43. art. 1. Conferatur B. nostri *Bechmanni* Annotat. ad *Olear. Theol. Mor.* Tab. XXXIIX. p. m. 311.

§. 11. Scandalum datum, quatenus est dictum vel factum, qvod dum alii audiunt vel vident, ad similes actiones pravas quasi invitantur, vocatur vulgò exemplum seu σκάνδαλον nocens.

§. 12. Scandali dati (in ordine ad proximum spectati) appellationes (ut *Flacius* in Clav. Script. probè annotat) in sacris literis hæ sunt: *Peccare facere* Exod. XXIII, 33. *delinquere facere* Levit. IV, 3. *inducere peccatum super alios* Exod. XXXII, 21. *Achab peccare fecit Israël* 1. Reg. XXI, 22. Quod sæpè etiam de Jeroboam, & aliis Regibus, legitur.

§. 13. Scandalum *acceptum* est dictum vel factum nullô modô pravum, quod præter suam naturam, ac citra dicentis vel facientis culpam, ac citra ejus intentionem alteri ob ipsius malitiam aut insciti am perversumque judicium errandi aut peccandi occasionem præbet (seu est dictum vel factum nullâ ratione malum, quod ab altero ex malitia aut insciti a in offensionis occasionem rapitur). Dico (1): Dictum vel factum *nullô modô pravum*. Sic enim scandalum acceptum distingvitur à scandalo dato, quippe quod est dictum vel factum per se, aut per accidens pravum. Quod scandali dati & scandali accepti discrimen B. *Hutterus* perspicuè pariter ac eruditè tradit, quando l. c. fol. 913. inquit: *Scandalum datum est, si vel in doctrina, vel in conversatione ac moribus, vel intempestiva mollitie, vel importuna levitate, lascivia aut temeritate, non ordine, nec suo loco ac tempore aliquid doceas, dicas, faciasve, quo imperiti ac infirmi*

mi offenduntur. Acceptum scandalum est, quando vel doctrina in se bona & vera, vel res aliqua licita per se, & concessa, non improbè, nec importunè proposita & admissa, ab alio ex mera malevolentia, aut sinistro quodam judicio, in offensionis occasionem rapitur. Dico (2), scandalum acceptum esse dictum vel factum, *quod citra dicentis vel facientis culpam alteri ob ipsius malitiam aut inscitiam perversumque judicium errandi aut peccandi occasionem præbet.* Quam differentiam iterum declarat *Hutterus*, quando ibidem pronunciat, *scandalum datum esse, cujus culpa ab autore ejus profecta est.* Hoc ipsum discrimen jam olim accuratè significavit *Basilius*, cùm in *Regulis brevioribus*, *Resp. ad Interrogationem* LXIV. exqvisitè scripsit: Γίνεται τὸ σκάνδαλον κατὰ πλείονας αἰτίας: ἢ γὰρ παρὰ τὸν σκανδαλίζοντα τὸ σκάνδαλον γίνεται, ἢ παρὰ τὸν σκανδαλιζόμενον τὸ σκάνδαλον συμβαίνει. Καὶ ἐν τούτοις πάλιν διαφόρως: ποτὲ μὲν γὰρ κατὰ κακίαν, ποτὲ δὲ κατὰ ἀπειρίαν, ἢ τούτου, ἢ ἐκείνου: ἔστι δὲ ὅτε ἐν τῇ ὀρθοτομίᾳ τοῦ λόγου ἡ τῶν σκανδαλιζομένων κακία ἐκδηλοτέρα γίνεται, καὶ ἐν τοῖς πράγμασιν ὁμοίως: ἢ γὰρ ἐντολὴν Θεοῦ τινὸς ποιοῦντος, ἢ τοῖς ἐν ἐξουσίᾳ κειμένοις ἐπ' ἀδείας χρωμένου, ὁ σκανδαλιζόμενος σκανδαλίζεται, i. e. *Scandalum oritur pluribus ex causis. Aut enim ab eo, qui scandalizat, aut ab eo, qui scandalizatur, scandalum provenit. Atque hoc iterum non uno modo evenit: Interdum enim ex malitia, interdum verò ex inscitia vel hujus vel illius* (accidit): *Est præterea, quando in recta Verbi tractatione eorum,*

rum, qui scandalizantur, malitia manifestior evadit. Id quod similiter in factis contingit : Aut enim mandatum Dei aliquô faciente, aut his, quæ in libera potestate sita sunt, liberè utente, scandalizatur is, qui scandalizatur.

§. 14. Vt scandali *accepti* natura dilucidiùs explicetur, quædam ejus exempla nunc recensebo. Scilicet scandalum acceptum extitit, cùm *Joh.* VI, 52. offenderentur Pharisæi, Christum se panem cœlestem appellare, suæque carnis manducationem, ac sangvinis sui bibitionem promittere audientes. Sic & scandalum acceptum enascebatur, ubi offendebantur Pharisæi, cùm Christum frequentes illas Judæorum lotiones taxare *Matth.* XV, 2. seque Filium Dei nominare *Joh.* VIII, 13. 19. audirent, ac paralyticum sanare cernerent *Matth.* IX, 3. Sic & scandalum acceptum erat, cùm *Matth.* XXVI, 65. turbaretur Caiphas, Christum de suo in nubibus cœli reditu dissérentem exaudiens.

§. 15. *Res* operationi & personæ contradistincta, quæ scandali in *tertio* significatu metaphorico accepti nomine appellatur, est ens ab operationibus & personis diversum, quod homines per hoc à pietate aut vera religione transversos rapit, quòd irritamentum aut occasionem ad lapsum in peccatum vel in errorem præbet. Talismodi scandalum erat Apostolorum tempore esca, quâ alii Christiani vescebantur, alii autem abstinendum putabant : De quo scandalo disserit Paulus 1. *Cor.* VIII, 13. ubi ita scribit : Ἐι βρῶμα σκαν-

σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, h. e. *si esca scandalizat fratrem meum* (seu, fratri meo est scandalo,) haud quaquam vescar carnibus in æternum, ἵνα μὴ τὸν ἀδελφόν μου σκανδαλίσω, h. e. *ne fratri meo sim scandalo.* Eôdem modô scandali vox usurpatur *Matth.* V, 29. & 30. ubi præcipit Christus, ut omnes res à nobis removeamus, quæ nos scandalizent, etiamsi essent propriæ manus, pedes, aut oculi, aut aliquid aliud longè gratissimum & utilissimum. Nempe oculi speciatim per hoc vitam sanctam impediunt, quòd per ipsos libido penetrat in corda, & adspectus est occasio & irritamentum concupiscentiæ.

§. 16. Scandalum *metaphoricè* acceptum, & quidem scandalum *reale datum*, de quo hic potissimùm sermo est, multifariàm dividi potest. Quippe (I) ratione *formæ* distingvitur in id, qvod est *dictum*, & in illud, quod est *factum*. Scandalum in dicto consistens est e. gr. quando quis in communi vita & conversatione, obscœnis & illiberalibus jocis aut sermonibus castas honestorum hominum aures animosque offendit & perturbat. Cujusmodi scandali speciem perstringit Apostolus 1. Cor. XV, 33. citans illud Menandri Poëtæ in Thalia: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, h. e. *corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Sic & aliquod scandalum, quod in dictis consistit, committitur in doctrina Religionis Christianæ, quando vivâ voce vel disseminantur falsa dogmata, vel de rebus Theologicis spinosæ & intricatæ, inutiles ac minùs necessariæ instituuntur disputationes,

nes, quæ infirmiores in fide magis dubios reddunt, & contentionum funes nunquam dissolvendos nectunt. Cujusmodi sanè scandalum patraverunt Doctores Scholastici, utpote qui generis istius quæstionibus Scholarum & templorum pulpita compleverunt. Vid. B. *Hutterus* l. c. fol. m. 912. Sed tale scandalum Apostolus 2. *Timoth.* II, 23. graviter interdicit, *Stultas*, inquiens, *& ineruditas illas quæstiones rejice, sciens, quòd pariant pugnas sive contentiones.* Scandalum verò, in *facto* positum, erat e. gr. nefandus ille Corinthii cujusdam incestus, de quo Apostolus 1. *Cor.* V, 6. affirmat, quòd *pauxillum fermenti totam massam corrumpat.*

§. 17. Scandalum itidem ratione *formæ* distingvitur (II.) in scandalum, quod est *factum per se malum*, & in scandalum, quod est *factum pravum per accidens.* Illius generis scandala sunt e. gr. fornicatio, adulterium, crapula, homicidium, & scelera atque flagitia alia publicè patrata: Hujus verò generis scandalum est qvivis intempestivus rerum liberarum usus, qvô infirmis datur peccandi vel errandi occasio.

§. 18. Scandalum [III.] ratione *effectus* distingvitur in scandalum quà doctrinam, in scandalum quà mores, in scandalum quà doctrinam & mores simul. Scandalum quà doctrinam est dictum vel factum, quod directè aliquem in fidei doctrina deteriorem reddit, vel reddere potest: Cujusmodi scandalum e. gr. est quævis falsa Verbi prædicatio. Scandalum quà mores est dictum

vel

vel factum, quod directè aliquem in vita moribusque deteriorem reddit, aut certè reddere potest, e. gr. adulterium publicè à Laico commissum. Hujusmodi scandalum indigitat *Theophylactus*, quando in cap. XVIII. Matth. σκάνδαλα dicit esse τὰ κωλύματα τῆς ἀγαθῆς καὶ θεοφιλοῦς πολιτείας, h. e. *impedimenta bonæ Deoque gratæ vitæ.* Scandalum quà doctrinam & mores simul est dictum vel factum, quod directè aliquem in doctrina fidei pariter ac vita deteriorem facere potest. Quale scandalum erat e. gr. factum Petri *Gal.* II, 11. à Paulo seriò graviterque objurgati, qui gentibus Antiochenis ante Jacobi Apostoli adventum conversebatur, sed, Jacobo postea cum quibusdam Hierosolymitanis superveniente, à gentium consortio ex metu Judæorum illorum abstinebat: Hâc enim simulatione ac subductione non tantùm aliis de gentilibus conversis, quasi adhuc immundi essent, nec verè justificati, nisi juxta leges Mosaicas viverent, ac circumcisionem inprimis, & discrimen ciborum admitterent, opinandi ansam præbebat, sed & implicabat alios, ut simul in hypocrisin istam consentirent.

§. 19. Hîc autem probè annotandum est, quòd, quando illum Petri lapsum scandali ad doctrinam pariter & ad mores attinentis nomine appellamus, scandalum quoad *effectus* suos, *non* autem *quoad intrinsecam suam rationem spectemus.* Si enim scandalum quoad rationem suam intrinsecam consideretur, scandalum quà doctrinam est vitium doctrinæ seu error, & scandalum quà

mores est vitium morum seu erratum. Atque si hac ratione scandalum quà doctrinam tale accipiatur, commemoratus Petri lapsus scandalum quà mores, non quà doctrinam fuit. Nec enim ait Apostolus, Petrum tunc in fide errasse, sed indicat saltem, eum simulasse ex metu, & pede non recto, incessisse; quod sanè morum, non doctrinæ vitium est, quale in hominem etiam sanctissimum cadere potest. Hinc & *Tertullianus* in Libr. de *præscript. hæret.* eandem illam Petri hallucinationem conversationis vitium appellitat, non prædicationis.

§. 20 Scandalum (IV.) ratione *causæ efficientis* ita distingvitur, ut aliud à Ministris Ecclesiæ, aliud à Magistratu, aliud à Privatis præberi dicatur.

§. 21. Doctores Ecclesiæ scandalizant alios vel in vita, vel in doctrina [seu fide].

§. 22. Directè scandalizant alios in vita, quando (1) vitæ sanctitate auditoribus suis non prælucent, sed ipsimet scelera publicè patrant, (2) auditorum crimina & corruptos mores non eo, quo par est, rigore taxant &c. Vid. B. *Bechmanni* Instit. Theol. Part. II. §. LVI.

§. 23. Sic & Ministri Ecclesiæ directè scandalizant alios in fide variis modis: ut quando syncretizant & omittunt errorum refutationem, aut quando falsa dogmata disseminant, aut phrases scandalosas usurpant, aut confessionis edendæ vel persecutionis tempore ceremonias & res liberas ac indifferentes in gratiam adversariorum inter-

termittunt aut introducunt, e. gr. in Calvinianorum gratiam exorcismum in baptismo, aut placentularum orbicularium usum in Sacra Cœna seponunt &c. Confer. B. *Bechmann.* l. c. §. LIII.

§. 24. *Magistratus* scandalizat alios in vita, quando (1) ipse scelera publica patrat, (2) eâ, quâ par est, severitate in crimina non animadvertit. In fide autem scandalizat, quando (1) à vera religione deficit, (2) veram religionem non propugnat, sed heterodoxos fovet, (3) Ecclesiæ Doctoribus, ne in errores falsaque dogmata invehantur, interdicit &c. Vid. *Bechm.* l. c. §. LIV.

§. 25. *Privati* scandalizant alios in fide (1) quando alios ad amplectendam religionem falsam exemplô suô invitant, aut svasione commovent, [2] quando liberos suos in vera religione institui non curant, (3) eos heterodoxis Doctoribus informandos committunt, (4) filias viris falsæ religioni addictis elocant &c. Confer. *Bechm.* l. c. §. LV.

§. 26. Expensis hactenus scandalorum naturâ & variis distinctionibus, dispiciendum nunc est, quæ praxis circa scandalum cùm datum, tùm acceptum, servari debeat.

§. 27. Scilicet (a) *Scandala accepta non sunt omittenda* (ut B. *Georg. Königius* in Cas. Consc. p. m. 324. loquitur), seu [ut B. *Hutterus* l. c. pag. 915. inquit) *ejusmodi scandala piis & fidelibus non sunt curanda, sed sequenda est pietas, prædicanda veritas, utendum libertate nostrâ prout decet, etiamsi omnes Pharisæi, hypocritæ, impii, imò totus mundus scan-*

scandalizetur. Nam (1) praxin hanc ipse edocet Christus, *Matth.* XV, 14. ubi discipulis dicentibus, *Nescis, quòd verbo hoc audito Pharisæi scandalizati sint,* respondet: *Sinite illos, cæci sunt, & cæcorum duces.* Ad quæ verba *Cornelius à Lapide* rectè annotat: *Docet hîc Christus, contemnendum esse scandalum Pharisæorum, scil. cùm quis suâ malitia & perversa obstinatione scandalizatur & offenditur.* [2] Gloria Dei, veritas Evangelii, confessio Christi, legitimus usus libertatis Christianæ, studium pietatis, piorum infirmorum ædificatio, modis omnibus anteferenda omnium Pharisæorum, hypocritarum, hæreticorum, & totius mundi corrupto judicio: Quæ sunt verba B. *Hutteri* l. c. fol. 915. (3) Si scandala accepta intermittenda essent, de tota Christi doctrina, ejusque sanctissimis miraculis actum fuerit, utpote quibus Pharisæi scandalizabantur vel maximè. Quam rationem B. *Königius* l. c. adducit.

§. 28. [β] *Scandalum datum magnâ curâ & vigilantiâ vitandum est.* Nam [1] *Matth.* XVIII, 7. suâ hâc voce: *Væ homini, per quem venit scandalum*, omnia ejusmodi scandala Christus damnavit. (2) Scandala illa charitatem Christianam, quæ tàm alterius, quàm propriam suiipsius salutem quærit & promovet, enormiter lædunt. (3) Apostolus 1. *Cor.* VIII, 11. scandali dati atrocitatem ex eo demonstrat, quòd scandalizans, dum fratrem, charissimô sangvinis Christi pretiô redemtum, in præsentissimum æternæ salutis periculum conjicit, salutarem sacratissimæ Christi mortis efficа-

ficaciam irritam reddere annitatur. atque adeò insignem horrendamque ipsi Dei Filio injuriam inferat.

§. 29. [γ] Ne autem culpâ nostrâ proximo ulla præbeamus scandala, tantâ comminatione à Christo interdicta, *cavendum* inter alia *omninò est, ne Christianâ libertate usquam abutamur.*

§. 30. (δ) *Tùm* verò *libertate illâ rectè utemur, si non tantùm quid liceat, sed & quid prosit, & ædificet, spectemus; hoc est, si non tantùm attendamus, quid Libertas Christiana simpliciter & in se considerata, & ratione nostri individui permittat, sed potiùs, quid proximi ædificatio, conscientia, & salus ferre possit.* Vbi tamen duas cautiones sive exceptiones notandas esse, l. c. fol. 914. B. *Hutterus* exquisitè docet.

§. 31. Cæterùm ex hactenus dictis abunde patet, quòd, quando asserimus in thesi, tunc venire scandala strictè, simpliciter & absolutè sic vocata, quando homines pravi exemplô suô alios ad peccatum inducunt, intelligamus nos scandalum significatu *tertiô* [quô denotat omne id, quod alicui peccandi occasionem præbet] acceptum, & quidem scandalum *reale datum* sub ea ratione, quatenus alios audientes vel videntes ad idem perpetrandum flagitium allicit, spectatum. Istud enim scandalum, sub hacce ratione consideratum, apud Christianos strictè, simpliciter & absolutè scandalum appellatur. Hinc *Basilius* M. in Regulis brevioribus, Resp. ad Interrogationem LXIV. scribit: Σκανδαλίζει τις παρανομῶν λόγῳ ἢ ἔργῳ, εἰς ἕτερον πρὸς

πρὸς παρανομίαν ἐνάγων, h. e. *Scandalizat aliquis, si dicto vel facto legem transgreditur, & [suô exemplô) alium ad legis transgressionem inducit.* Cæterùm actio svadendi, consulendi, adhortandi, imperandi, qua quis alios ad peccandum permovet, est quidem etiam propriè loquendô scandalum aliquod datum, sed non ita strictè & simpliciter apud Christianos scandalum nominari solet.

Th. IX.

Peccata actualia præcedentia, cùm externa, tùm interna, per hoc sunt peccatorum actualium subsequentium causa efficiens, quod [1] hominem ad consimiles actus peccaminosos patrandos inclinant, [2] sæpè excludunt gratiam, quæ aliàs peccata impedit, & quâ ablatâ homines in peccata graviora ruunt.

§. 1. Scilicet peccata actualia præcedentia peccatorum actualium subsequentium principium & causam esse, duobus hîc argumentis probamus. Argumentamur (1) hunc in modum: *Quicquid hominem ad actus peccaminosos patrandos inclinat, illud est actuum peccaminosorum principium & causa* [cùm inclinans sit principium ac origo rei illius, ad quam inclinat]. *Atqui peccata actualia præcedentia hominem ad patrandos actus peccaminosos inclinant:* (Actus enim, sive boni sint sive mali, primùm producunt ac post se relinqvunt dispositionem ad actus similes exercendos inclinan-

nantem, &, si iterentur crebriùs, dispositionem illam augent subinde ac robustiorem reddunt, ut ipsa in firmum fixumque habitum tandem abeat.] *Ergò* &c.

§. 2. Concludimus [II] hôcce pactô: *Quicquid removet illud, quod peccata actualia subsequentia aliàs impediturum erat, id peccatorum actualium subsequentium principium est, ac causa*: (Quæ propositio major ex terminis statim patescit.] *Atqui multa peccata actualia præcedentia removent illud, quod peccata actualia subsequentia aliàs impediturum erat*, [cùm peccata actualia contra conscientiam admissa excludant gratiam, quæ aliàs peccata impedit, & quâ ablatâ homines in peccata graviora subinde prolabuntur.] *Ergò multa peccata actualia præcedentia sunt peccatorum actualium subsequentium principium ac causa.*

Th. X.

Corruptam hominis *naturam*, vel (abstractivè loquendô) ipsam connatam homini perversitatem, in carentia justitiæ originalis & prava concupiscentia positam, peccati actualis causam efficientem esse, ex Loco Theologico proximè præcedente liquet, ubi peccata actualia ad peccati originalis effectus pertinere demonstravimus.

Thesin hanc nostram disertè Christus tradit *Marc.* VII, 21. 22. 23. ubi docet, ἔσωθεν ἐκ τῆς καρδίας τῶν ἀνθρώπων h. e. *intus ex corde hominum* [naturaliter corrupto] egredi cogitatio-

tiones pravas, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritias, fraudes, dolum, lasciviam, blasphemiam, superbiam, stultitiam.

Th. XI.

In doctrina Theologica de intellectus ignorantia, ut peccati actualis humani causâ, cumprimis observanda sunt seqventia: (1) Quòd ignorantia illa sit peccatorum actualium causa; [2] quid sit ignorantiam esse causam peccatorum actualium; (3) per quid ignorantia actu sit peccatorum actualium causa; (4) quotuplex sit illa ignorantia, quæ peccatorum actualium causa est.

§. 1. Qvòd ignorantia peccatorum actualium causa sit, manifestè probat exemplum Pauli, quippe qui 1. *Tim.* I, 13. peccatum aliqvod suum actuale, nempe fidelium persecutionem, suæ, quâ laboraverit olim, ignorantiæ, veluti causæ, palam adscribit.

§. 2. Tunc ignorantia est actualis peccati causa, quando quis ignorantiâ laborans peccatum patrat, quod non patrasset, si non laborâsset ignorantia. Cæterùm si quis laborans ignorantiâ committat peccatum, quod etiam commisisset, si vel maximè absque ignorantia fuisset, e. gr. si quis, veram religionem, qvam talem esse ignorat, persequens, eam persecuturus esset, si vel maximè nosset, ipsam esse religionem veram, ignorantia non est peccati causa, sed comes duntaxat.

§. 3.

§. 3. Ignorantia non per hoc peccati actualis causa evadit, quòd peccatum illud simpliciter, seu per veram & realem actionem, efficiat, sed quòd formaliter (sicut privatio quævis removet habitum) impedimentum, quod, ne fieret peccatum, obstabat, scientiam videlicet, excludat.

§. 4. Ignorantia verò, quæ hôcce modô peccati actualis causa est, nunc est *antecedens* (h. e. ignorantia, quam quis voluntate suâ sibi non attraxit), nunc *consequens*, (h. e. ignorantia, quam quis suâ sponte, suaque voluntate sibi conscivit). Quippe e. gr. ignorantia antecedens peccati actualis causa est, si homo quidam indoctus aut hebetioris judicii citra malitiam & culpam suam legis ἀγνόημα vel actionis quasdam circumstantias ignorat, & sic ex ignorantia ista admittit peccatum, quod, si sciret, quæ ignorantur, non committeret. Ast ex ignorantia consequente veniebat e. gr. Pauli peccatum, quô veram religionem persequebatur. Eam certè ignorantiam, cui, tanquam causæ, persecutionem isthanc 1. *Tim.* I, 13. Apostolus adscribit, ipse sibi suâ culpâ ac voluntate attraxerat, quia, Jesum esse verum mundi Messiam, nosse omninò potuisset, si debitâ diligentiâ & absque præconceptis opinionibus Scripturam esset scrutatus, eamque cum persona, nativitate, tempore nativitatis, doctrina atque operibus Domini Jesu contulisset.

§. 5. Annotandum autem hîc probè est, quòd, dum ignorantiam consequentem ad peccati actualis causas referimus, non de ignorantia

consequente *affectatâ* (h. e. de ea ignorantia, quam quis sibi directè attrahit per affectationem, quâ affectat aliquid ignorare, ut liberiùs peccare possit), sed de ignorantia consequente *supina* (h. e. de ignorantia ea, quam quis sibi indirectè contrahit per negligentiam), sermo nobis sit. Nam nemo non negotiô facili intelligit, ignorantiam consequentem affectatam peccatorum illorum, quæ homo eâ laborans committit, non causam esse, sed tantùm comitem. Qvis enim non existimaverit, e. gr. eum, qui societatem ingressus leges datâ operâ nescire affectat, ut liberiùs contra eas agere, & se, quod leges ignoraverit, excusare possit, illud, quod contra leges illas operatur, facturum fuisse, si earum vel maximè fuisset gnarus?

Th. XII.

Habitualis illa *malitia*, quæ ad peccatorum humanorum actualium causas, intra hominem ipsum peccantem occurrentes, refertur, nihil aliud est, quàm *quædam voluntatis in malo obfirmatio* (h. e. quædam ad malum inclinatio, actibus peccaminosis crebriùs iteratis contracta, quâ qvis ex voluntate plena & deliberata peccat, seu citra ignorantiam intellectus ac citra vehementiorem affectum, prævia consultatione liberè eligit, qvod malum est, ut actionem perpetratam dolor & pœnitentia non sequatur.

Th.

Th. XIII.

Causæ peccatorum actualium *movent:es*, ab omni causa efficiente distinctæ, duplicis sunt generis: Aut enim hominem actualiter peccantem ad peccatum actuale sub ratione boni vel mali movent; aut homini illi insunt, & per hoc, quod insunt, eundem movent.

§. 1. Causæ peccatorum actualium moventes in universum sunt triplicis generis. Aut enim movent in genere causæ efficientis, ut causæ morales mandantes, svadentes, consulentes, demandantes, laudantes, pollicitantes &c. quarum *motio* Philosophis vocatur *motio moralis*; aut movent in genere causæ finalis, quarum motio dici solet *motio metaphorica* seu *objectiva*; aut movent in genere causæ impulsivæ. Id quod exemplô lapsus Adamitici inprimis claret. Quippe lapsus illius, ut actu *externô* de fructu arboris vetitæ perficiebatur, causa movens in genere causæ efficientis erat Satanas, qui moraliter, & quidem svasione suâ, primos homines ad peccatum movebat; in genere causæ finalis erant major cum Deo similitudo, ipseque arboris fructus, quippe qui juxta *Gen.* III, 6. bonus erat ad cibum, & desiderabilis oculis; in genere causæ impulsivæ erat cùm desiderium majoris cum Deo similitudinis, tùm inordinata fructus vetiti appetitio.

§. 2. Etsi igitur causa peccatorum actualium movens triplicis sit generis, nostra tamen thesis non nisi de causis in genere causæ finalis

& in genere causæ impulsivæ moventibus loquitur.

§. 3. Causæ autem actualium peccatorum moventes in genere causæ finalis non nisi sub ratione boni movent, quatenus bonitate suâ (sive verâ, sive apparente) cognitâ ad sui appetitionem, & effectionem aut consecutionem usumve alliciunt. Sic enim e. gr. Bathseba, velut finis quidam objectivus, Davidem ad adulterium committendum movebat. Sic & divitiæ, velut *res mundi*, furem ad furandum, avarum ad exercendos avaritiæ actus movent.

§. 4. Causæ peccatorum actualium moventes in genere causæ impulsivæ sunt iterum duplicis generis. Aut enim sub ratione boni vel mali movent, & dicuntur causæ impulsivæ externæ; aut eatenus præcisè, quatenus intrinsecè sunt in homine actualiter peccante, impellunt, atque hinc causæ impulsivæ internæ appellantur. E. gr. qvando illata injuria, & ira inde concepta homicidii patrati causæ moventes & impulsivæ sunt, injuria sub ratione mali, ira verò per hoc, quod inest, ad cædem movet ac impellit. Sic &, quando pollicitatio divitiarum, & earum cupido ἀποστασίας causæ moventes sunt, pollicitatio sub ratione boni, cupiditas autem per hoc, quod apostatæ inest, ad facinus illud perpetrandum commovet. Vbi tamen observandum, defectionis illius causas moventes simul esse pollicitantem divitias, promissas opes, opum pollicitationem, & divitiarum promissarum cupidinem, & quidem promit-

mittentem in genere causæ efficientis, promissas divitias in genere causæ finalis, divitiarum promissionem earumque cupiditatem in genere causæ impulsivæ.

Th. XIV.

Causæ illæ moventes, quæ homini actualiter peccanti insunt, & per hoc, quod insunt, ad peccatum actuale movent, speciatim sunt *affectus* strictè ac rigorosè sic dicti, quippe qvi voluntatem ob appetitus sensitivi cum ea arctissimam connexionem tribus modis turbant, & ad peccatum aliquod, si vehementes sint, abripiunt.

§. 1. Quòd affectus peccatorum actualium, etiam atrocissimorum, causæ moventes ac impulsivæ sint, *experientia* tristis testatur. Hinc ipse *Seneca* Libr. I. de *ira*, c. VII. inquit: *Animus si in iram, amorem, aliosque se projecit affectus, non permittitur reprimere impetum: rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & jam vitiorum natura proclivis.* Et cap. II. scitè scribit: *Si effectus iræ damnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes ac venena, & reerum mutuas sordes, & urbium clades, & totarum exitia gentium, & principium sub civili hasta capita venalia, & subjectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, sed ingentia spatia regionum hostili flammâ relucentia. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia: has ira dejecit. Aspice solitudines per multa milliaria sine habitatione desertas*

tas: has ira exhausit. Aspice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili suo confodit: alium inter sacra mensæ ira percussit: alium inter leges celebrisque spectaculum fori lancinavit: alium filii parricidio dare sanguinem jussit &c.

§. 2. Id ipsum (quòd scil. *affectus peccatorum actualium, etiam gravissimorum, causæ sint*) disertè docet Apostolus *Jacobus*, cùm c. I. v. 14. 15. inquit: *Unusquisque verò tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur. Deinde concupiscentia, postquam concepit, parit peccatum: peccatum verò consummatum progignit mortem.* Hîc quippe Apostolus cupiditatem, quæ utique est affectus, describit velut fœminam concipientem, ejusque partum docet esse peccatum actuale aliud, & quidem peccatum actuale externum gravius, hujus verò fœtum mortem esse contendit, ut adeò verborum jam allegatorum sensus genuinus huc redeat: *Si cupiditas, cùm animo subitò surgit, statim reprimatur, tentat quidem hominem, & ad peccatum* (actuale externum gravius, e. gr. scortationem, adulterium, abnegationem fidei &c. *stimulat, sed frustrà & sine effectu, adeoq; nihil parit; sin autem inescare incipiat hominem, & aliquam delectationem, aliquem, imperfectum videlicet, consensum eblandiatur, jam ipsa concipit peccatum illud actuale externum: Quod si deinde hominem eò adduxerit, ut plenè ipsi consentiat & acquiescat, parit idem illud peccatum: Hoc verò peccatum opere ipsò perfectum & consummatum novum procreat fœtum, mortem puta, sive æternæ damnationis reatum.*

§. 3.

§. 3. Affectus autem *strictè* ac *rigorosè* sic dicti (h. e. motus appetitus sensitivi, orti ex imaginatione boni vel mali, & cum mutatione aliqua corporis non naturali conjuncti) voluntatem ob appetitus sensitivi cum ea arctissimam connexionem tribus modis conturbant, & ad peccatum actuale aliud abripiunt. I. Distrahunt aut impediunt voluntatem, ut vel remissiùs, vel planè non velit actum rectum ab intellectu recto sibi commendatum. Ita e. gr. metus subitaneus impedit voluntatem, ne actum fortitudinis aut professionis fidei exercendum, quem intellectus rectus præscripserat, eligat & imperet; prout Petrus metu periculi concussus Christum abnegabat *Matth.* XXVI, 70. seqq. & metuens Judæos sese à consortio gentilium conversorum subducebat *Gal.* II, 12. II. Pondere suô voluntatem contra recti intellectus dictamen ad agendum id, quod intermitti debebat, sæpè rapiunt, seu ad amplectendum aliquod objectum, quod sensibus gratum est, lege autem prohibetur, non rarò dejiciunt. Pertinet huc, quod etiam *Aristoteles* Libr. VII. Nic. c. I. inquit: Ὁ ἀκρατὴς, εἰδὼς ὅτι φαῦλα, πράττει διὰ πάθος, h. e. *incontinens, etsi sciat, res esse malas, eas tamen agit affectu subactus.* III. Præoccupant & præpediunt intellectum, ut bonum jucundum, quod simul turpe est, præcisè ut jucundum, non autem ut turpe, apprehendat, atque adeò causa sunt, cur voluntas quoque, utpote judicium intellectus, ducem velut, secuta, ad bonum illud sensibile eligendum subitò trahatur.

Ita e. gr. affectus amoris intellectum sapientis excœcare dicitur. Quò spectat omninò, quod *Pindarus* Olymp. Od. 7. scribit: Αἱ δὲ φρενῶν παραχαὶ παρέπλαξαν καὶ σοφόν, h. e. *mentis perturbationes in errorem impellunt etiam sapientem.*

§. 4. Apparet ex jam dictis, quòd affectus vel immediatè, vel mediatè, mediante scilicet intellectu anteà turbato ac præpedito, voluntatem turbine suô concutiant, & versus peccata impellant.

§. 5. De cætero thesis nostra, cùm *affectus* peccatorum actualium causas moventes esse perhibet, non negat, affectus ipsos esse peccata actualia, sed significat saltem, eos hominem ad alia peccata actualia, à se (affectibus) diversa, inprimis ad peccata actualia exteriora, impellere. Ipsos enim affectus ad peccatorum actualium classem accuratè refert *Melanchthon*, dum LL. Theol. Loc. de *Pecc. actual.* p. m. 123. hæcce scribit: *Originale malum est caligo in mente, aversio voluntatis à Deo, contumacia cordis adversus legem Dei. Hæc mala non vocantur ACTIONES, sed ex eis oriuntur actualia peccata interiora & exteriora, in mente assiduæ dubitationes, blasphemiæ, in voluntate securitas & neglectio Dei, diffidentia, admiratio sui, anteferre nostram vitam & voluntates mandato Dei: Deinde ingens confusio & moles vitiosorum AFFECTVVM. Nec imaginemur, otiosam rem esse malum originale. Nam etsi pauci quidam homines honestâ disciplinâ frenantur, tamen in animis esse magnas dubitationes,*

&

& multos motus à Deo aberrantes, & variè ruentes contra legem Dei, manifestum est. Id ipsum docuit *Melanchthon*, quando (referente B. *Chemnitio* LL. Theol. Part. I. Loc. VII. c. VIII. p. m. 629.) nunc monuit, *peccatum actuale esse omnem actionem pugnantem cum Lege Dei, tùm in mente, ut dubitationes de Deo, tùm in voluntate & corde, ut incendia malorum affectuum, tùm in membris externis, ut externas actiones pugnantes cum Lege Dei*; nunc alibi tradidit, *peccatum actuale significare fructus vitiosæ naturæ, interiores & exteriores, id est, AFFECTVS, cogitata, facta, dicta contra Legem Dei.*

Th. XV.

Quando igitur *Satanas*, *Mundus* (h. e. homines in mundo contenti, aut res mundi, e. gr. deliciæ, commoda, vanitates mundi &c.) *Corrupta* nostra *Natura*, *pravique* nostri *Affectus* ad peccata actualia nos incitant & exstimulant, *tentare* nos dicuntur, eâ scilicet tentatione, quam Doctores quidam *tentationem seductionis* appellitant.

§. 1. *Tentare* in significatu suo *generalissimo* idem est, quod experiri, facere periculum. Hinc & *tentatio* generalissimè est actio, quâ quis aliquid experitur. Quæ generalissima significatio locum habet, cùm quis fortunam belli, aut alterius sententiam, vel scientiam, patientiam &c. tentare dicitur.

§. 2. *Generaliter τὸ* tentare idem notat, quod *niti, conari*, atque adeò tentatio generaliter desig-

gnat *nisum, conatum.* Quæ significatio *Act.* XXIV, 6. occurrit, ubi Tertullus ad Felicem Præsidem de Paulo defert, ὅτι τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, h. e. *quòd templum profanare tentaverit.* Sed altera hæc ad primam illam ac generalissimam significationem respectum habet, atque in ea fundatur. Qui enim conatur aliquid, seu efficere quid studet, is, quid ipse possit, experitur, seu vires suas periclitatur.

§. 3. *Specialiter* tentatio denotat actum, quô quis aliquid (e. gr. scientiam, aut prudentiam, facultatem vel voluntatem, fidem, institutum, vel denique potestatem, indolem, virtutem, malitiam &c.) de persona quapiam explorat, si non ut ipse sciat, tamen ut aliis (nimirum personæ tentatæ, aut personis à tentata diversis) prodat seu cognitum faciat. Quô sensu accepta tentatio auctoribus quibusdam, ut *Joh. Henrico Alstedio* in Theol. Cas. c. I. & *Joh. Caspari Svicero* in Thes. Eccles. sub vocabulis: πειράζω, πειρασμὸς, dicitur *tentatio probationis*, ac in se nec bona, nec mala est, sed demum pro habitu & dispositione tentantis aut bona aut mala esse potest. Atque si illô ipsô sensu tentationis vox adhibeatur, Deus hominem, homo Deum, Diabolus quandoque hominem, homo seipsum, & sæpè quoque alium hominem tentare aut tentasse dicitur. Sic scilicet Deus *Gen.* XXII, 1. tentavit Abrahamum, cùm Isaacum mactari jubens exploraret de Abrahamo fidem & obedientiam, non ut hæ dotes Deo (quippe quem eorum nihil latet, quæ intus

sunt

sunt in homine) innotescerent, sed ut aliis exponerentur, iisque exempla tanquam insignia prælucerent. Sic & Deus panem de cœlo pluens tentavit populum Israëliticum, utrum ambulet in lege divina *Exod.* XVI, 4. h. e. non tàm sibi, quàm toti generi humano, exploravit, exploratumque ac notum fecit, utrum grati vel ingrati sint futuri pro beneficio alimoniæ. Pertinet huc, quod *Rivetus* Commentat. in *Exod.* c. XV. vers. 25. accuratè scribit: *Quomodo Deus tentet, aliàs dictum est: Non ut ipse discat, quid sit in homine, sed ut aliis prodat, ipsis etiam tentatis & probatis, qui sæpè, ante experimentum, seipsos non norunt.* Homo quoq; si tentationē probationis intelligas, Deum tentat (h. e. ejq, quod de Deo aut prorsus nescit, aut minus novit, experimentum quærit), & quidem vel ex fide & sic licitô modô, vel ex infidelitate. Ex fide homo Deum tentat, quando e. gr. ad ipsius Dei mandatum aliquid de eo explorat: Quale mandatum *Esa.* VII, 12. 13. dabatur Achazo, cùm signum à Domino, tanquam medium confirmandi fidem suam, postulare juberetur. Ex infidelitate autem homo Deum tentat vel explicitè, vel implicitè ac interpretativè. *Explicitè*, quando Numinis Æterni Verbum (nempe Verbum divini mandati, aut promissionis, aut comminationis) vel aliquam Dei perfectionem (e. gr. scientiam, sapientiam, bonitatem, justitiam, potentiam divinam) in dubium vocat, & quibusdam probari documentis expressè postulat: Quâ ratione tentârunt Deum Israëlitæ in deserto, cùm *Exod.* XVII, 7. dicerent:

Estne

Estne Dominus in medio nostrûm, an non? &, testante Psalmô LXXIIX. v. 18. & 19. contra Deum ita loquerentur: *Numquid parare poterit Deus mensam in deserto?* Illic quippe expressè explorabant, an Deus ipsos ex Ægypto eduxerit, simulque an possit ac velit in loco tàm arido tantæ multitudini necessariam aquæ copiam suppeditare: Hîc verò de carnibus dandis voluntatem & potentiam Dei explicitè disertéque pericitabantur. *Implicitè* autem, & *interpretativè* homo Deum ex infidelitate tentat, quando non quidem directè intendit Dei vel scientiam, vel voluntatem, vel potestatem explorare, aliquidtamen, qvod in se ordinem habet ad periculum uniusaut plurium perfectionum Dei temerè faciendum, seu aliquid dicit vel facit, quod ad aliud utile non est, quàm ut Dei aliqua perfectio temerè exploretur. Sic & omnes homines impœnitentes, pravisque concupiscentiis jugiter fræna laxantes, Deum tentant: Suâ quippe impœnitentiâ & peccatorum continuatione patientiam ac benignitatem Dei explorant, seu, *an Deus* (ut *Flacius* in Clav. Script. sub verbo: *Tento*, benè explicat) *perpetuò velit pergere tolerare ipsorum malitiam, & non potiùs aliquando tandem, pertæsus ipsorum malitiæ, eos gravissimè punire, quasi experiuntur.* Sic Israëlitæ, toties in deserto murmurantes, Deum tentârunt, seu Numinis Æterni patientiam protervè explorârunt. Christus quoque de tentatione Dei implicita & interpretativa loquitur *Matth.* IV, 6. 7. ubi à Satana, ut se de pinnaculo templi daret præcipitem, solicitatus

tus respondet, illud fore Dei tentationem, quæ *Deuter.* VI, 16. interdicta sit. Tunc enim Christus significat, ausum illum ad aliud utilem non fore, quàm ut de Dei voluntate vel potentia custodiendi experimentum temerè sumatur. *Diabolus* porrò hominem tentat, si tentatio in tertio significatu, seu pro tentatione probationis, ut vocant, accipiatur. Cùm enim omnem adhibeat operam, ut sive certam sive conjecturalem notitiam de homine acquirat, intelligatque, qualis sit homo, quid cogitet, quò tendat, quæ sint spirituales ejus vires, qui defectus, ac inprimis, ad quæ vitia propensiùs ille inclinet, subinde in capiendis de homine experimentis occupatur. *Omnium ventilat curas*, ait *Leo* serm. de Circum. *discutit consvetudines, animos scrutatur, & ibi quærit causas nocendi, ubi aliquem viderit studiosius occupari.* Homo non rarò *seipsum* tentat (tentatione probationis.) Cùm enim homines ad certam sui notitiam pervenire sæpiùs contendant, frequenter aliquid explorant de seipsis. Cujusmodi tentationem præcipit Paulus 2. *Cor.* XIII, 5. ubi inquit: ἑαυτὸς πειράζετε (vos ipsos tentate,) *an sitis in fide*; ἑαυτὸς δοκιμάζετε (vos ipsos probate): *annon cognoscitis vosmetipsos, quòd Jesus Christus in vobis est?* Homo *alium hominem* (tentatione probationis) tentat, quando e. gr. præceptor discipulum examinat: Tunc enim de discipulo profectus explorat, ut ipse eos intelligat, ac discipulo, aliisque notos faciat, vel, si ipse jam novit, discipulo certè exponat, vel, si discipulus quoque perspectos habet,

bet, aliis saltem prodat. Sic & homo hominem tentabat, cùm 1. *Reg.* X, 1. regina Saba tentaret Salomonem in ænigmatibus, h. e. periculum sapientiæ Salomonis faceret, propositis illi multis abstrusis & difficilibus maximiq; momenti quæstionibus.

§. 4. *Quartò* tentationis vox in Scripturis Sacris impropriè (seu per metonymiam effectus pro causa) sumitur pro eo, per quod Deus homines (sive bonos, sive malos) tentat & probat, ostendens eorum probitatem aut malitiam, nempe pro cruce, calamitatibus, castigationibus, & pœnis propriè dictis. Ita accipitur 2. *Petr.* II, 9. ubi asserit Apostolus, Dominum nosse pios ἐκ πειρασμῶ ῥύεσθαι, h. e. *ex tentatione eripere* (seu ex calamitate & afflictione liberare.) Ea ipsa impropria & metonymica vocabuli tentationis significatio deprehenditur *Deuter.* VII, 18. 19. ubi Moses ad populum Israëliticum ita fatur: *Recordando recordaberis, quæ fecerit Deus Pharaoni & toti Ægypto; nempe tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, & signa atque prodigia, & manum robustam, atque brachium extentum, per quod eduxit te Dominus Deus tuus.* Ibi quippe tentationes necessariò planè significant plagas & pœnas, per quas Deus probavit Pharaonem, ejusque indurationem ac incorrigibilem mentem non tàm sibi, quàm toti generi humano, exploravit, notamque & exploratam fecit.

§. 5. Quintò, ac *specialissimè* tentationis vox denotat *solicitationem ad malum.* Quo significatu vocabulum illud adhibetur *Jacob.* I, 13. ubi Apo-

postolus scribit: *Nemo, cùm tentatur, dicat: A Deo tentor; nam Deus tentari malis non potest, nec quenquam hominem tentat. Unusquisque verò tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & illicitur.* Ibi enim disertè significatur, neminem, dum ad peccatum impellitur, à Deo ad id instigari, cùm Deus vi sanctitatis & justitiæ suæ ad peccatum neminem solicitare queat; unumquemque verò tunc ad peccatum revera pellici, quando connata nobis ad pravum inclinatio habitualis affectum aliquem motumque pravum elicit. Eadem vocabuli tentationis significatio subinnuitur *Matth.* IV, 3. ubi Diabolus absolutè & secundùm excellentiam ὁ πειράζων (*tentator*) h. e. solicitator ad malum appellatur. Scilicet Satanas excellenti quadam ratione vocatur *tentans*, quòd, quicquid homines tentant, ab ipso sit, saltem quatenus per ejus tentationem primam peccatum, ex quo resultat omnis & carnis & mundi tentatio, primò fuit introductum.

§. 6. Quinta illa & specialissima significatio convenit tentationis voci in ordine ad primam & generalissimam, atque ex parte in respectu ad secundam acceptionem. Quando enim persona personam aliam ad peccatum solicitat, non tantùm *experitur*, quid persona tentata velit ac factura sit, sed & eandem illam personam ad flagitium pertrahere *conatur* & annititur: Et, quando caro, res mundi, pravique nostri affectus nos ad peccatum pelliciunt, hæcce illectamenta ad id suâ quasi naturâ ordinantur, ut ex-

experimenta de mentis nostræ dispositione submministrent & excitent. Dixi studiô, personam tentantem experiri *sæpiùs*, quid persona tentata velit. Satanas enim, qvando ad hoc vel illud flagitium impellit eos, quos laqveô trahit captivos sibi factos ad suum lubitum 2. *Tim.* II, 26. jam ante satis cognovit, qvid velint aut facturæ sint personæ, qvas tentat.

§. 7. *Sextò* vocabulum tentationis impropriè (seu per metonymiam causæ pro effectu) designat errorem aut peccatum, in quod homo per tentationem seductionis, seu per solicitationem ad malum, incidit. Quæ significatio occurrit 1. *Cor.* X, 13. ubi Apostolus Corinthios contra cogitationes à Satana suggestas, quasi propter crimen jam perpetratum commercii nihil amplius cum Deo habere possint, communiturus scribit: *Vos non cepit* (seu non apprehendit) πειρασμὸς, εἰ μὴ ἀνθρώπινος, *tentatio nisi humana*, hoc est, illud, in qvod prolapsi estis, peccatum non ex malitia, sed ex fragilitate carnis, & ex connata ad malum proclivitate subinde ad peccata impellente, ortum suum habuit. Illa ipsa metonymica acceptio locum qvoqve habet, quando *spirituales tentationes* in scholis Theologorum dicuntur *tela Satanæ verè ignea à Deo permissa, quibus verè credentis anima petitur.* Tunc enim spiritualis tentationis notio significat cogitationes à Satana homini suggestas, in eo consistentes, quòd homo existimat, se nullam habere fidem, ad se Meritum Christi & Gratiam Dei nullô modô spectare,

re, se nunquam cum Deo in gratiam rediturum, nunquam salutem consecuturum, se non rectè orare, preces suas non exaudiri, totum suum cultum nil nisi peccatum esse, Deum esse hostem suum, ac proinde non diligendum, sed potiùs blasphemandum, contemnendum &c. Vid. B. *Bechm.* Theol. Conscientiar. Tit. I. Sect. II. §. 4. Quando verò *Deus per spiritualem tentationem fidem piorum probare* dicitur, sensus non est, quasi Deus ad cogitationes illas, in quibus tentatio spiritualis formaliter consistit, homines pios impellat, sed mens Theologorum est, qvòd Deus cogitationes istas homini pio à Satana suggeri permittat, idque permittendô de homine illo fidem viresque non tàm sibi, quàm ipsi tentato, aliisque exploret.

§. 8. Ex hactenus dictis apparet facilè, quòd Thesis nostra, quæ *Satanam, Mundum, Corruptam nostram Naturam, pravosque nostros Affectus tentare nos* asserit, præcisè de tentatione in qvarto significatu accepta, h. e. de solicitatione ad malum, loquatur.

§. 9. Atque hæc est illa tentatio, contra qvam in sexta Orationis Dominicæ petitione Patris cœlestis opem deposcimus. Tunc enim à Deo petimus, ne patiatur nos à Satana, Mundo, & carne nostra graviùs fortiùsque ad peccatum solicitari & pellici, quàm per vires gratiæ sustinere & superare queamus, adeoque *ne nos defessos sinat occumbere, atque ita demum iterum in pec-*

cata, dedecus, & incredulitatem prolabi. Absque hoc enim (h. e. sine auxilio divino) *impossibile est, vel levissimam tentatiunculam vincere.* Quæ sunt verba B. *Lutheri* in Catech. Maj. pag. 530. seq.

§. 10. Etsi verò non tantùm Satanas hominesque impii, sed & res mundi, corrupta nostra natura, ac pravi nostri affectus ad peccata nos solicitent & impellant, id tamen diversâ prorsùs ratione fieri, ex superioribus constat. Qvippe (1) Satanas tentat nos *activè*, quatenus ille partim rem, quæ ad peccandum invitet, homini objicit, partim argumenta, qvibus qvemqve ad consensum pertrahat, adducit, partim sangvinem commovendô affectus inflammat, hi verò peccati objecta subministrant, svadent, consulunt, & exemplô suô invitant: *Res* mundi tentant nos *objectivè, ostensivè & occasionaliter*: Corrupta nostra natura tentat *elicitè* (h. e. eliciendô pravos affectus hominem ad peccatum actuale inclinantes & provocantes): Affectus pravi tentant *formaliter* (seu per sui præsentiam & inexistentiam.) Quô spectat, qvod B. *Lutherus* in Catech. Maj. pag. 529. seq. scribit: *Est autem triplex tentatio, seu (ut Saxones nostri jam olim locuti sunt) conversio, videlicet carnis, mundi & diaboli. Siqvidem in carne versamur ac veterem Adamum humeris nostris circumferimus, hic SVIS movetur AFFECTIBVS, & nos subinde provocat ac pellicit ad turpitudinem, ad socordiam, ad crapulam & ingluviem, ad avaritiam & fraudulentiam, ad decipiendum & fraudandum proximum, &, ut in summa dicam, ad omnes pravas*

cu-

cupiditates &c. Deinde huic succedit mundus, à quo & dictis & factis offendimur, ac planè ad iracundiam & impatientiam compellimur. Atque ut summatim virtutes mundanas perstringam, hîc nihil aliud videre est, quàm odium & invidentiam, inimicitias, simultates, jurgia, vim, injurias, perfidiam, ultionem, maledicentiam, convitia, contumelias, superbiam & insolentiam, nimio ornatu, honore, jactantia atque potentia semet efferentem, ubi nemo posteriores ferre sustinet, sed reliqvos omnes sua pompa post se relinqvere studet. His succenturiatus accedit nunc Diabolus, passim instigans ac provocans. (2) Diabolus, & rebus mundi contradistincti homines, ex intentione decipiendi seu ad peccatum trahendi; res mundi verò, caro nostra, praviqve nostri affectus absqve ejusmodi intentione ad malum solicitant. Vnde Theologi illi, qvi ad tentationem pro solicitatione ad malum acceptam decipiendi intentionem reqvirunt, Diabolum hominesque impios propriè, res mundi verò, corruptam nostram naturam, nostrosque pravos affectus impropriè tentare ajunt.

§. 11. Licet igitur homines, quatenus activè nos tentant, rebus mundi ad peccata nos pellicientibus contradistingvi soleant, tamen, quatenus objectivè & sine decipiendi intentione ad peccatum invitant, ad res mundi, quæ nos tentant, rectè referuntur; prout Bathseba, cùm non nisi objectivè Davidis animum inflammaret, ad rei mundi regem illum tentantes pertinebat.

§. 12. Cæterùm tentationis, uti h. l. accipitur, varias eruere distinctiones difficile non est. Qvippe [1] tentatio alia est *activa*, ut Satanæ & pravorum hominum; alia est *objectiva & occasionalis*, ut rerum mundi; alia est *elicitiva*, ut carnis; alia est *formalis*, ut pravorum nostrorum affectuum. [2] Alia fit *cum intentione decipiendi*, ut Diaboli & malorum hominum; alia *sine ejusmodi intentione*, ut rerum mundi, carnis, & pravorum affectuum. [3] Alia est *efficax*, alia *inefficax*. Efficax est, quando homo perpetrat peccatum, ad quod solicitatur, seu quando homo [ut B. *Lutherus* l. c. pag. 531. loquitur] *tentationi consentit, & laxatis habenis eidem indulget, neque vi neque oratione repugnans:* Inefficax verò est, quando homo peccatum, ad qvod impellitur, non patrat. Quando efficax est tentatio, homo tentatus succumbere, tentantes autem, ut diabolus, mundus &c. vincere ac triumphare dicuntur: Quando autem tentatio inefficax est, tentantes succumbunt, tentatus autem victoriâ potitur. (4) Tentatio alia est circa *spiritualia*, h. e. (ut B. *Lutherus* l. c. pag. 530. ait) circa ea, *quæ ad conscientiam & spiritualia negotia pertinent*; alia circa *secularia*. Illa eò tendit, ut (B. *Luthero* ibidem explicante) *ex æquo Verbum & opera Dei ventis & auræ, qvod dicitur, committamus & contemnamus, ut à fide & charitate nos avellat, & in superstitionem, pravam nostri fiduciam, & cordis indurationem aut in extremam desperationem & Dei abnegationem & execrationem, aliaque innumera & detestanda ejusmodi*

pia-

piacula iterum nos præcipitet. Hæc verò ad reliqva peccata & scelera, quæ sunt: concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ, nos provocat.

Th. XVI.

De peccati actualis *forma, materia, & fine* ut ex instituto & disertè hîc agamus, opus non est. Nam [ut B. *Chemnitius* LL. Theol. Part. I. Loc. VIII. p. m. 267. monet] *ex illis, quæ* superiùs *de peccato in genere, & de originali dicta sunt, potest doctrina de peccato actuali, adhibitâ mediocri consideratione, constitui: sicut sub genere species, & ex causa effectus possunt intelligi. Accedit, quòd etiam ratio illa peccata, quæ consistunt in actionibus, sive interioribus, sive exterioribus, aliquô modô videt & intelligit.*

Th. XVII.

Effectus immediatus peccati actualis primùm exerciti est quædam voluntatis dispositio ad similes alios peccaminosos actus exercendos: Ex hac dispositione, si actus isti peccaminosi crebriùs iterentur, sequitur porrò habitus peccandi: Ex habitu peccandi proveniunt alia peccata actualia, quæ sunt ejusdem speciei cum illis peccatis, per quæ habitus peccandi fuit acquisitus.

Liqvet hinc, peccatorum actualium effectus esse dispositionem ad peccandum acquisitam, habitum peccnadi, ipsaque peccata

actualia subsequentia, quæ ex illa ad peccandum dispositione aut ex peccandi habitu proveniunt.



Index

Index I.

Locorum Theologicorum, quos media hæc pars continet.

Locus I. de Peccato in genere.
II. de Peccato originali.
III. de Peccato actuali.

Index II.

AUTORUM,
qui in hac parte allegantur.

A.

Aegidius Romanus. 46
Affelmann9 *Johannes* Syntagm. 166.111
ab Aliaco *Petrus.* 35
Alstedius *Joh. Heinr.* Theol. Cas. 366
Ambrosius. 28.190
Amyraldus *Moses.* Dissert. Theol. quatern. 39 184
Amsdorffius *Nicolaus.* 230
Andreæ *Samuel.* 93
Andreæ *Jacob.* epist. ad Flacium. 229.237
Andronicus Rhodius. 276
Andradius, *Defens. Tridentinæ fidei.* 204.214
Angelus de Clavas. 47
Anshelmus, *Cantuariensis Episcopus.* 211
Antonius. 47
Apologia Aug. Conf. 128 135.144.212.227.243. 291.308.325
Aquinas *Thomas.* 223
Aristippus. 35
Aristoteles. 27.54.89.156 245.250.315. 357.
Arnold *Nicolaus.* Luc. in Tenebr. 97
Arnold *Godofredus.* Kirchen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0377
DFG

chen- und Ketzer-Hist. 107
Arriaga. 201
Athenæus. 56
Augustanæ Confessionis Apologeta. 209. 222. 223
Augustinus. 14. 17. 19. 28 32. 77. 117. 120 189. 261. 264 272. 321
Autoris Scripta varia. 4. 13. 53. 86. 100. 101. 116. 180
Azorius. *Instit. Moral.* 36
B.
Baierus. 15. 31. 75. 142. 149 312. 316. 325. 329
Balæus. *Scriptor. Britann. Cent.* 190
Balduinus. 252. 292. 313 324
Barbosa. 281
Barclajus. *Apolog.* 228
Baronius *Annal,* 193
Basilius M. 215. 339, 347
Becanus. 29. 218. 225
Bechmannus. 15. 104. 122 142. 149. 308 337. 344. 367
Beda. 192
Bellarminus. 20. 24. 121 218. 267. 283
Bergius *Joh.* 100
Beza. 94. 111
Biel *Gabriel.* 72. 91
Bonaventura. 17. 46. 212 285
Buddeus *Joh. Franc.* Phil. Pract. 36. 42. 104. 317
Bucerus. 94. 205
Bullingerus *Henricus* 205
C.
Cælestius. 192
Calovius. 14. 15. 37. 75. 85 87. 111. 113. 230
Calixtus *Georg.* 97. 108 123. 181. 251
Calvinus. 94. 59
Canisius *Petrus.* de virg. Deipara. 281
Canus *Melchior.* 287
Carpzovius *Joh. Bened.* 12
Catharinus *Ambr.* 200
Catton *William.* Schall der Wahrheit. 228
Chemnitius *Martinus.* 6 7. 9. 14. 15. 18. 86. 90 253. 255. 291. 298. 321 327. 371
Chrysostomus. 191

Chy-

Chytræus *David.* 271.272
Cicero. 32
Claubergius *Joh.* Logic. Vet. & Nov. 99
Clemens Alexandrinus. 56
Coccejus *Joh.* Summ. Theol. 35.37
Cochlæus *Joh.* 109
Colerus *Jacobus.* 236
Colloquium Franckenthalense. 199
- - Langenawense 238
Concilium Arausicanum. 192
- - Milevitanum. 192
- - Tridentinum. 214.222
Confessio Augustana. 81. 84. 86. 111. 143. 213 217.247.305
Cornelius à Lapide 346
Costerus *Franciscus.* 92
Cundisius *Not. ad Comp. Hutt.* 294
Curtius. 56
Curcellæus *Stephanus* Opp. Theol. 39.47
Cuttenus. 195

D.

Damascenus *Joh.* 228
Dannhauerus. 36.290
Diogenes Laertius. 35.56
Dionysius *Werlensis.* 284 286
Dreierus *Christian.* de causa pecc. 108
Driedo *Joh.* 224.295
Durandus. 36.201

E.

Episcopius *Simon.* 161 168.172.176.198
Erasmus. 167.330
Estius. 16.280.287.288
Edzardus *Sebastian.* 103

F.

Fabricius *Joh.* Prof. Helmstad. 93.94.104
Faber *Jacob.* 202
Ferdinandus de Castro Palæo. 89
Feurbornius. 146.161.174
Flacius *Matthias.* 159.231 seq. 338.362
Forbesius *Instruct. Hist. Theol.* 193
Formula Concord. 154 233

G.

Gandavensis *Heinricus.* 224. 295
Gennadius Massilienſis 192

Gerhardus *Joh.* 7.8.15.19 23.59. 93.168. 255 259.283.311.322
Gerson. 46
Grauerus *Quæst. Ill.* 14
Gregorius Nazianzenus. 99
- - Nyssenus. 14.83
- - Ariminensis. 224
Grotius *Hugo.* 45.48.58 67.115.138.264
Grynæus *Joh. Jacob.* 206
Gvaltherus *Rudolphus* 205

H.

Hannekenius *Philippus Ludovicus.* 107
Hermogenes 121
Hieronymus. 159.192
Hildebrandus. *de Ritib. Sacr.* 192
Himmelius *Colleg. Anti-Calvin.* 204
Hœpfnerus *Heinricus.* 8
Hottingerus *Histor. Eccles.* 191
Hugo. 211
Hülsemannus. 306
Hutterus *Leonh.* 210.231 234.336.338.

J.

Jansenius. 19.223
Jovius *Elog. doct. viror.* 202
Irenæus *Christoph.* 232
Julianus, *Episcopus Campanus.* 191
Jus Canonicum. 227
Justinus Martyr. 121

K.

Königius *Joh. Fridericus.* 294
- - *Georgius.* 345
Kromayerus *Hieronymus.* 8.9.15.111.234

L.

Latermannus. 311
Leo. 363
Limborch. 182.184.187 188.197
Lombardus *Petrus.* 224
Lutherus *Martinus.* 90 109.123.168.368.370

M.

Malebranchius. 92
Marius Victorinus. 228
Martini *Cornelius.* 11
Martyr *Petrus.* 94
Mayerus *Joh. Frid.* 107
Meisnerus *Balthasar.* 11 17.109.199.233.263 207
Melanchthon *Philippus.* 55.

55.109.110.199.201.253
278.298.302.330.359
Menander, *Poëta.* 341
de Muis *Simon.* 178
Musæus *Joh.* 10.15.124
142.151.156.235.246
260.293.308
Musæus *Petrus.* 22
- - *Simon.* 228.236

N.

Nicolai *Philippus.* 107

O.

Occamus. 46.201
Olearius. 337
Ostorodus. 162.179.194

P.

Pelagius 190.211
Peltius *Joh.* 118
Pfeifferus. 94
Pictetus *Benedict.* 92
Pighius. 200.214
Pindarus. 358
Piscator. 94.111
Plato. 121
Plotinus. 13
Porenn. *Balthas.* 281
Possidonius. 193
Psellus. 13
Pufendorffius. 61.102.317
Pythagoras. 28.156

Q.

Qvenstedius 94
Qvistorpius. 181

R.

Rappoltus *Fridericus.* 12
de Rhodes *Georg.* 201
Rivetus 361

S.

Salustius. 13.101
Schmidius *Sebast.* 324
Schlichtingius. 163.168
Smalcius. 196
Scotus. 46.64.284
Scherzerus. 12.32.52.167
287.305
Schneiderus *Matth.* 232
Seckendorffius. 109
Sedda Natalis. 202
Seneca. 355
Sleidanus. 202
Socinus. 20.160.195
Spangenberg *Cyriacus.*
232
Stahlius. 115
Strigelius *Victorinus.* 236
Svarezius. 46.258
Svicerus *Joh. Casp.* 331.360
Surius. 281.282
Synodus Diospolitana
193

Syn-

Synodus Dordracena. 92.103
Szydlovius. 36.38
T.
Tapperus. 201
Tertullianus. 121.344
Theophylactus. 334.343
Theodorus. 35
Thomas. 21.29.55.62.117 139.269.284
Thomasius *Jacob.* 271.272
à Trejo *Antonius.* 288
Tvvissus *Gvilielm.* 118
U.
Vega *Christoph.* 281.282
Velthemius *Valent.* 105 141.256.261.308
Voëtius *Gisbertus.* 46.116 118
Vossius. 190
Usserius *Jacobus.* 191
Urbanus Regius 205
W.
Waddingus *Lucas.* 288
Wagnerus. 111
Wendelinus *Marcus Frideric.* 71
Whitacker *Gvilielmus.* 205
Wilhelmus Parisiensis. 201
Wolffius *Martinus.* 232
- - *Joh.* 289
Z.
Zanchius *Hieronymus.* 94
Zvvinglius. 94.111.204.

Index III.

Dictorum Scripturæ Sacræ, quæ media hæc pars vel citat, vel uberiùs explicat.

Cap.	Vers.	pag.
	Genesis.	
II.	17. - -	134
		260
III.	6. - -	353
	12.	90
IV.	7. - -	323
VI.	5. -	157. 159 160.161. 162
VIII.	21. -	157. 159 160. 161.162 174.249
		24.

Cap.	Vers.	pag.
	24.	9
XVIII.	25.	46
XXII.	1.	360
	Exodus.	
II.	6.	159
XV.	25.	361
XVI.	4.	361
XVII.	7.	361
XX.	1. seqq.	59
	5.	85
XXIII.	33.	338
XXXI.	18.	59
XXXII.	21.	338
Cap.	Vers.	pag.
	Leviticus.	
IV.	3.	338
	Devteronom.	
I.	39.	23
VI.	16.	363
VII.	18.	364
	19.	ibid.
	Judicum.	
XIII.	5.	159
	I. Samuel.	
I.	22.	159
II.	13.	158
	15.	ibid.
XVII.	33.	160
XX.	31.	181
	II. Samuel.	
Cap.	Vers.	pag.
XII.	14.	336
	I. Regum.	
VIII.	46.	164.286
X.	1.	364
XV.	24.	330
XVIII.	12.	158
XXI.	22.	338
XXII.	21. seqq.	330
XXII.	37 usque 40.	ibid.
	II. Paralipom.	
VI.	36.	286.164
XVIII.	19. seqq.	330
	Jobus.	
XIV.	4.	162
	14.	280
	Psalmus.	
V.	5.	41.84.274.
XIV.	3.	164.286
XXXII.	5.	164
	6.	ibid.
XLV.	8.	84
LI.	7.	174.175
		176.255
		320
LIII.	4.	164.286
LXXVIII.	18.	362
	19.	ibid.
	Proverbia.	
XIII.	23.	70
XX.	9.	164

Ec-

Cap.	Vers.	pag.
	Eccleſiaſtes.	
VII.	20.	286
	Eſaias.	
VII.	12.	361
	13.	ibid
LIII.	6.	287
LXIV.	6.	164
	Jeremias.	
II.	9.	46
XXIV.	7.	51
XXXI.	33.	ibid.
	Ezechiel.	
XVIII.	25.	46
	Hoſeas.	
XIII.	9.	98
	Mich.	
VI.	2.	46
	Judith.	
V.	1.	332
	Sirac.	
XV.	11.	191
	12.	ibid.
	Matthæus.	
IV.	3.	365
	6.	362
	7.	ibid.
V.	20. ſeqq.	59
	29.	251
	30.	341
VII.	23.	75
IX.	3.	340
XI.	46.	289
XIII.	14.	335
XV.	2.	340
	14.	346
XVI.	23.	333
XVIII.	7.	346
	8.	251
XIX	3. ſeqq.	59
XXVI.	65.	340
	70. ſeqq.	357
	Marcus.	
III.	20.	289
VII.	21.	399
	22.	ibid.
	23.	ibid.
	Lucas.	
II.	23.	289
	43.	ibid.
	49.	ibid.
VIII.	20.	ibid.
XII.	47.	140
	Johannes.	
II.	4.	289
VI.	52.	340
VIII.	13.	340
	19.	ibid.
	44.	81. 82. 84
		98. 254
	46.	281

Cap.	Vers.	pag.
	Acta Apost.	
XIV.	-	184
XVII.	- -	ibid.
XXIV.	6.	360
	Epist. ad Roman.	
I.	23.	184
	28.	83
II.	6.	46
	15.	50.66
III.	6.	46
	9.	286
	10.	ibid
	12.	251.
	13.	ibid.
	14.	ibid.
	15.	ibid,
	19.	286
	23.	164
V.	12.	165.170
		172. 173
		180.255
		279.310
	19.	260.134
VI.	6.	312.
	12.	165. 220
		221.251.
	13.	248
VII.	7.	220. 221
	17.	ibid. 318
	18.	250
	23.	ibid.
		165. 225
VIII.	9.	9
	15.	16
	28.	117
IX.	33.	332. 334
XIV.	13.	336
	15.	99
	20.	ibid.
	21.	331
	I. ad Corinth.	
I.	23.	333
II.	14.	165
V.	6.	342
	15.	283
	21.	281
VI.	13.	128
VIII.	11.	346
	13.	340
X.	13.	366
XV.	21. seqq.	165
	33	341
	II. ad Corinth.	
XII.	3.	51
XIII.	5.	363
	Ad Galatas.	
II.	11.	343
	12.	357
III. - -	10.	20
IV.	8.	183. 184
		185

Cap.	Vers.	pag.
		185
V.	16.	324
	17.	225
	Ad Ephes.	
I.	5.	181
II.	1.	145
	2.	146
	3.	ibid.
		180.185
		187. 310
		188
	4.	188
	5.	165.182
		181. 183
		184. 248
IV.	17.	9.165
	18.	146.245
		165
	22.	ibid.
	35	292
V.	8.	9.165.245
VI.	11.	330
	12.	ibid.
	13.	ibid
	Ad Coloss.	
I.	13.	310
II.	13.	145
	15.	310
III.	5.	313
	I. ad Timoth.	
I.	13.	350.351

Cap.	Vers.	pag.
	II. ad Timoth.	
II.	23.	342
	26.	366
	Ad Titum.	
II.	14.	25
	I. Petri.	
II.	7.	332.334
	22.	281
V.	9.	330
	II. Petri.	
II.	9.	364
	12.	181
	I. Johannis.	
II.	2.	283
III.	4.	15.20.75
	Ad Ebræos.	
II.	14.	310
	15.	ibid.
VI.	18.	40
VII.	26.	281
VIII.	20.	51
XII.	1.	313
	6.	70
	Ep. Jacobi.	
I.	13.	91.364.
	14.	41.ibid.
		356
IV.	7.	330
	17.	140
	Apocal.	
II.	19.	70.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0386
DFG

Index IV.

Rerum ac Verborum.

A.

ABraham nullum perpetravit homicidium DEI mandato immolaturus filium pag. 47
Accidit peccato originis *regnare* & *non-regnare* in hominibus 323
Actiones ſua natura morales quid? 33. quomodo *antecedenter* ad voluntatem divinam ſint morales? 34. an ex lege morales ſint? 35. ſeqq. dari actiones ſuâ naturâ morales, probatur 37. ſeqq.
Actionis omiſſio vitioſa quid? 139
Actio, quæ eſt cauſalitas alicujus rei, vocatur non raro cauſa efficiens illius rei 262
Actuale peccatum 126. 328. ſeqq.
Actuum internorum, quos lapſus protoplaſtorum ambitu ſuô comprehendit, quisnam ſit ordo? 270
Adulterii formale 135
Adam Deo poſitivè nolente deliquit 275. Meiſneriana ſententia hac in re diſplicet 276
Affectus 355. quomodo ad peccatum concurrant? ibid.
Afflictiones piorum pœnæ propriè dictæ non ſunt 69
Anima hominis immediatè à Deo non creatur. 321
Ἀνομίας vox realem includit definitionem 20. ubi ἀνομία ibi peccatum ibid. ἀνομία eſt peccati formale. 21. ſeq. eſt compoſitum 21. ejus ſubjectum varium eſt. ibid. ἀνομία cum peccato reciprocatur 23. ſenſu Script. non denotat omne ar-

artis aut naturæ vitium 24. seqq. sed peccatum morale ibid. ἀνομία requiritur ad omne peccatum 20
Archetypum quid? 32. lex DEI æterna est archetypa lex naturæ ibid.

B.

Bestiæ propriè loquendo non puniuntur 67
Bonum & malum non ex materia ortum est 121
Bruta non peccant 80

C.

Carentia justitiæ originalis legi æternæ contrariatur 28
Calixtina Phrasis de *Causa peccati per accidens* an sit admittenda? 108
Concupiscentiæ vocab. quotupliciter accipitur? 217. concupiscentiam esse peccatum probatur 223. argg. Pontificiorum contraria refutantur 224. seqq. concupiscentia etiam Aristoteli fuit malum συγγενές 27
Conditio hominis naturalis an sit ratio, propterquam quis filius iræ appellitetur? 187
Consequentia formalia peccati quænam? 138
Corporis membra utrum vocari possint peccati orig. subjectum QVO? 295. seqq.
Corruptio moralis hominibus congenita est intima & profundissima 164. 216. seqq. eandem propagari ad omnes homines ostenditur 165. seqq. peccati propriè dicti rationem habet 173. id quod probatur, *ibid seqq.* non est medium promerendi clementiam DEI, sed per eam nostra modò exponitur miseria 174. homines temporalis & æter-

æternæ mortis reos constituit 180. idque probatur. ibid. & seqq. nec non defenditur contra Episcopium & Philippum à Limborch 182
Corruptio *terminativè* & *subjectivè* talis 218
Culpa quid? 60. 63. *lata, levis & levissima* 61. culpa & reatus possunt dici formale peccati 136. quomodo hâc ratione considerentur. ibid. & seqq. culpa & reatus sunt peccati formale consequens 137. seqq.

D.

David an Ps. LI, 7. adhibeat hyperbolen? 176. seq. an culpam peccatorum in Deum devolvat? 177 an juxta quosdam itemque Anabaptistas loquatur de alieno peccato? 178. an de se tantùm loquatur juxta Ostorodum? 179
DEUS an in præcepto de imaginibus dispensare posit, ut quidam volunt? 46. DEUS non potest dici causa peccati 83. non est absolutè loquendo causa peccati 85. prius probatur 83. licet concurrat ad materiale actus peccaminosi 85. tamen ad formale peccati nullâ ratione concurrit 86. quo sensu causa peccati per accidens à nonnullis dicatur. 87. an formula hæc: *Deus est peccati causa per accidens*; adhibenda? 86. seq. 108. seqq. Fugienda est illa, cùm sit scandalosa 88. 89. profana *ib.* an Reformati eam foveant sententiam, quod Deus sit causa peccati? 92. seqq. Recentiores quidem deprecantur *ibid.* adeò ut eosdem excuset *Joh. Fabricius* 93. ast tàm veteres, quàm recentiores reipsa eam sententiam fovere constat 94. seq.

DEUS quibus modis à variis autoribus pro causa peccati habeatur ? 94. ex quibus verbis Reformatorum seqvatur hos statuere, Deum esse causam peccati ? 95. Calvini hac de re verba adducuntur *ibid.*

DEUS juxta *Reformatos* peccatoribus peccandi necessitatem imponit 102. seqq.

DEUS nullo modo lapsus Adamitici causa vocari potest 274. id quod probatur. ibid. & defenditur contra Calvinum ejusque asseclas 275 DEUS enim lapsum antequam fieret, odio habuit 275

DEUS an tempore Caini & Abelis diluvio mundum perdere potuerit? 161

Diabolus est causa efficiens peccatorum 87. id quod probatur *ibid. & seqq.* diabolum esse speciatim peccati orig. veram causam probatur. 254. causam nempe efficientem moralem eamque svadentem 257. id quod probatur *ibid. & seqq.* non tamen esse causam per determinationem ostenditur 329

Disconvenientia peccati cum natura rationali an prior sit disconvenientia cum lege? 132

Doctrina, quæ ex alterius assertis per se ac necessariò sequitur, rectè eidem adscribitur 99

Dominicani licet non errent ineo, quòd Mariam in peccat. orig. conceptam esse inficiantur, errant tamen, quando eam per totam vitam ab omni peccato actuali immunem fuisse contendunt 288 seq.

E.

Evam fuisse veram causam peccati orig. ostenditur 254

Ectypum quid ? 33

F.

Filii nomen quando in Script. S. explicandum per *dignum*? 181

Finis propriè dictus datur etiam in re non bona 113

Flacius an ſtatuerit, peccatum orig. eſſe ipſam hominis per ſeipſum conſiderati ſubſtantiam, aut eſſe tantùm de ipſius ſubſtantia? 231. prius ipſi tandem adſcribitur & probatur 235. ſeqq. ubi oſtenditur, Flacium errorem illum Vinariæ propugnaſſe 236. conſtanter tenuiſſe 238. aliàs a. in explicandis animi ſenſibus varium fuiſſe & inconſtantem 241. an exinde ſecundum quosdam ab errore liberari poſſit, quòd peccatum orig. homines Theologicè conſiderati ſubſtantiam eſſe docuerit? 242

Forma denominans eſt de eſſentia denominati. 4

Forma partis & *totius* peccati 133

Formaliter quid denotet? 10. an peccatum formaliter ſit aliquid poſitivum ? 12

Formale primum quid? 131

Formale conſequens quodnam? ibid. ſeqq. immediatum. 138. mediatum ibid.

H.

Homo peccator eſt ſubjectum operationis Theol. 3

Hominis peccatoris ergo Theologia labores ſuos ſuſcipit 4

Hominis peccatoris forma denominans 4

Homines ſuâ voluntate peccatorum ſuorum cauſa exiſtunt 82

Homines ob lucis ſpiritualis privationem dicuntur

mente obtenebrati 245

I.

Ignorantia intellectus qvid & qvotuplex? 350. seqq.
Imputabilitas peccati in quo consistat? 62. seqq.
Infantes baptizandi ob ingenitam naturæ corruptionem obnoxii sunt damnationi 189. id quod orthodoxi Theologi ritu exorcismi innuunt ibid. seqq
In Infantibus etiam aliqvid datur legi divinæ contrarium 24
Intellectui in spiritualibus facultas bona cum assensu cognoscendi non competit naturaliter 318. de *intellectus ignorantia* quid notandum circa peccatum? 350
Injuria DEO illata fidelibus propter meritum Christi remittitur 70
Jobus c. 14. v. 4. non loqvitur de immunditie *physica*, sed morali 162. seq.
Jus naturæ non mutatur 48. omnibus hominibus connatum est 52. non actu *ibid.* sed potentia & quidem propinquâ *ibid.* & 54. 56. hæc potentia aliàs etiam vocatur *lux intellectui ingenita* 55. quomodo simpliciter connasci dicatur? 57. seq.
Justitia originalis erat de essentia hominis, quâ integer erat 4. ejus carentia legi æternæ contrariatur 28. ejus privatio intima & gravissima est hominis corruptio 214. non reliquit naturam in ea perfectione, quâ ipsa fuit ante lapsum 216. Quæ & qualis sit justitiæ originalis privatio, innotescit ex antithesi justitiæ orig. 243. seqq.
Justitia orig. in quonam constiterit quoad *intel-*

tellectum 244. voluntatem 246. appetitum sensitivum 249. qvoad membra corporis 250.

K.

Κόλασις à τιμωρία, distingvitur. 71

L.

Lacedæmoniis quomodo furari licitum? 56

Lapsus Protoplastorum fuit actio non simplex, sed *complexa* 260. qua ratione causa efficiens peccati orig Theologis dicatur? 262. varios actus *internos*, unum a. *externum* in se continet 262. quinam illi fuerint? *ibid.* Lapsus ille fuit peccatum non modo *extensivè*, sed & *intensivè* & absolutè omnium maximum & gravissimum 263. id quod defenditur contra Bellarminum ibid. & seqq.

per *Lapsum* Protoplasti fuerunt causa peccati originis 260

Latermanni phrasis: *Peccatum O. fuit sufficiens, non autem adæquata damnationis causa*; non est adhibenda 311. seq.

Lex DEI æterna 29. est universalis 25. seq. est norma morum adæquata 27. forma legis æternæ 29. fundamentum 30. Synonymia ibid. subjectum ibid. & 33. objectū 33. obligatio 49. promulgatio 50.

Lex DEI æterna est in DEO 30. seq. est lex naturæ archetypa 32. est absolutè immutabilis 44. eandem repræsentavit DEUS in decalogo 59. legis æternæ obligatio est maxima 47

Lex non obligat nisi promulgata 49

Lex naturæ, homini inexistens, est legis æternæ in hominibus expressa imago 32

Liberum arbitrium est ipsa à necessitate libertas 316. an voluntati intrinseca ? ibid. in quo consistat? 317
Lutherus an aliquando securiùs & liberiùs locutus fuerit 109. excusandus est 110. seq.

M.

Macula moralis quid ? 61
Malitia habitualis 352
Mala quævis ad peccatum orig. concurrentia propriè dicta peccata sunt 325. seq.
Mali quà mali tota ratio formalis in boni absentia sita est 13
Malum habet causam sui efficientem propriè dictam 115
Malum quoddam potest esse finis 115
Malum quodnam per defectum liberi arbitrii in spiritualibus intelligatur? 316
Maria Deipara an immunis sit à peccato originali ? 281. Pontificii plures, præsertim Franciscani & Jesuitæ, defendunt illam immunitatem. ibid. in quibusdam Academiis Papisticis Candidati juramento ad illam doctrinam obligantur 281. seq. Dominicani negant 288
Maria an per Christum redemta redemtione tantùm præservativa? 285. argg. quibus adstruitur à Pontificiis immaculata conceptio? 287. quæ tamen à quibusdam Pontificiis explodantur. ibid. seq. imprimis Dominicani hîc reluctantur 288
Metaphysicæ abstractiones usum habent 9
Motus inordinati primò primi an ad peccatum orig. referendi? 141. seqq.

Mors

Mors piorum ipsis non est pœna propriè dicta 68. 70
Mundi vox aliquando denotat omnes in mundo contentos 168

N.

Naturæ vox quot modis in Scriptura sumatur 183. seqq.
à *Nativitate* aliquid esse, an idem sit ac reverà esse? 185. 183. seqq.
Norma primaria, universalis & adæquata morum reg. 25
Norma primaria, secundaria: Normans & normata 26

O.

Objectum peccati variè accipitur 128. seqq.
Obligatio legis æternæ summa est 49. prærequirit promulgationem ibid.
Omissio actionis non est aliquid positivum 74

P.

Papam contra decalogum dispensare posse, falsò qvidam statuunt 47
Παιδεία, δοκιμασα &c. à τιμωρία distingv. 71
Peccatum quomodo Patribus quibusdam definitum? 28. sumitur vel *generaliter* vel *specialiter* 5. peccatum artis. ibid. naturæ. ibid. Peccatum morale consideratur vel *formaliter* & abstractivè, vel *materialiter* & concretivè. ibid. formaliter sumtum non est aliquid positivum 13. 15 seqq. sed materialiter spectatum 6
Peccati materialiter accepti *subjectum* non est homo peccato substans, sed potiùs qualitas quædam

dam connata aut habitus acquisitus, aut actus realis 6. in peccato materialiter & concretivè spectato duo includuntur 6. 10. peccatum ethicè considerare quid ? 8
Peccatum absolutè loquendo non est substantia 4. 119. est tamen de essentia hominis peccatoris ut talis *ibid.*
Peccaminositatis causa moralis non est, nisi natura cum cognitione agens & libera 79. idque probatur *ibid.* Ejusmodi natura est Diabolus & homo ad bonum non determinatus 81
Peccatum quodvis ex parte peccantis culpam & reatum vi naturæ suæ inducit 65
Peccati autorem Deum non esse Arnoldus quatuordecim argg. probat 98
Peccati causæ 73. peccatum abstractivè consideratum non habet efficientem causam realem & positivum effectum producentem *ibid.* concretivè autem habet utplurimum 74. abstractivè consideratum agnoscit causam moralem 75. id quod probatur ex Script. S. *ibid.* ex ejusmodi causæ indole 76. quod agnovit etiam Augustin. 77
Peccati finis 112. variat *ibid.* ex parte Satanæ *ibid.* ex parte hominum. *ibid.* peccati finem nullum esse putat Calovius *ibid.*
Peccati materia circa quam s. objectum 127. ejusdem ratio formalis quænam ? 130. 134. materia ex qua an detur ? 119. seqq. effectus formales quinam ? 60. subjectum non est homo 121. id quod probatur 122
Peccatum per accidens utile est 116. Ad peccatum

tum non requiritur, ut sit voluntarium 20. seqq. 141. seqq. totam substantiam hominis esse peccatum, Luthero idem est, ac totam substantiam hominis esse impurissimam 123
Peccatum originis 200. 224. non est nobis propriè voluntarium 17. nec tamen est omni modo non voluntarium, *ib.* est lege æternâ prohibitum 27. peccatum originis originans 150. originatum *ibid.* peccat. habituale originale & peccatum habituale acquisitum quomodo differant? 151. peccati orig. existentia probatur ex Scr. S. 157. peccatum originale ratio confusè intelligit 155. quousque originale peccatum ex naturali lumine innotescat 156. existentia illius peccati ab Ambrosio & Augustino asserta 190. impugnata Sec. V. à Pelagio *ibid.* & Socinianis postmodum. 193. Arminianis item 196. nec non Anabaptistis 199. à quibusdam Pontificiis 201. seqq. annon etiam à Calvinianis? 204. seqq. an Zwinglius hac in parte excusandus? *ibid.*
Peccati orig. definitionem ante Augustinum non curarunt 209. seqq.
Peccatum originis in quonam consistat quoad *intellectum* 245. quoad *voluntatem* 247. quoad *appetitum* 249. quoad membra corporis 250. 289
Peccati orig. causa efficiens quænam? 253. an detur propriè dicta? 257. seqq. ejusdem finis 277 an propriè detur? 278. materia ex qua nulla 278. materia in qua sunt omnes homines per carnalem generationem descendentes 279. 283 seqq. quo sensu adhæserit primis parentibus 280

Sub-

Subjecti peccato orig. corrupti universalitas unde probatur? 162. Scholastici errant, qui peccatum originis tantùm in inferiore animæ parte collocant 291. id propter eosdem notat Apolog. Aug. Conf. *ibid.* peccatum orig. immediatè non corpori, sed animæ inest 293. id quod confirmatur. *ib.* 294. impingunt ergò Petrus Lombardus, & alii hoc loco 295. *materia circa quam* 297. forma *ibid.* disputatio circa formale peccati orig. 298. ejusdem decisio 299. seqq. peccatum orig. utrum formaliter spectatum sit aliquid positivum 304. seqq. pecc. orig. *effectus* quotuplices? 309. ejusd. *affectiones* 318. it. *consequentia formalia* 138

Peccatum orig. *partialiter* sumtum est partiale quoddam nobis congenitum malum & peccatum propriè dictum 327

Peccatum orig. quomodo regnet & non regnet? 323. ejus propagabilitas 319. seq.

Peccatum quomodo per unum hominem in mundum introiverit? 169. transiit ad posteros non imitatione, ut docent Sociniani 170.

Peccatum est vel *actuale* vel *habituale* 138. actuale quid? 139. 142. peccatum actuale commissionis 139. peccatum actuale omissionis. *ibid.* peccatum actuale an peccatori debeat esse voluntarium? 141. seqq. probatur, non esse necessarium, ut sit voluntarium 143. pecc. actualis causæ efficientes variæ ostenduntur 328. seqq. peccata actualia præcedentia sunt peccatorum actualium subsequentium causa efficiens 348. causæ moventes peccatorum actualium 353

Peccatum actuale *omissionis* quomodo homini tribuitur ? 126. *commissionis* quandoque intrinsecè est in homine *ibid.* transiens quomodo homini competat – 127
Peccati habitualis nomine quid veniat ? 144. habituale distingvitur in *privativum* & *positivum* 145 seqq. quomodo utrumque differat *ibid.* porro distingv. in connatum & acquisitum 147. per peccatum connatum num intelligatur peccatum originis originans, an originatum? 159. seqq. habituale originale intrinsecè est in homine 126 habituale acquisitum homini quoque intrinsecè tribuitur ibid.
Pelagius an natione Scotus ? 191. ejusdem asseclæ ibid. seq. Pelagiani dicuntur quoque Cælestiani 192. Pelagianis sese opposuerunt varia concilia, variique doctores 192. inter quos præsertim Augustinus. 193
Persis non fut turpe cum filiabus & matribus misceri. 56
Φύσις non significat rei veritatem 183
Φρόνησις 50
Pœna quid ? 66. ejusdem reatus 62. Pœnæ sunt peccati consequentia 66. Incommodum per culpam prævium contractum non statim facit pœnam propriè dictam 68. incommodum, quod non ad vindicandam culpam vel injuriam infligitur pœna propriè dicta non est 69. respectus incommodi ad prævium culpam est materiale proximum pœnæ propriè dictæ 69.
Posteris ob parentis delictum propriè pœna non infligitur 67. Posteri quo jure propter lapsum pro-

protoplastorum peccatores concipiantur, consultum non est subtilius disputare 273
Primi hominis peccatum gravissimum est & maximum 263. læsit Deum, proximum & peccantem quam maximè 264. committebatur ab iis, qui maximis beneficiis erant à Deo ornati 265. transgrediebatur præceptum observatu facillimũ *ibid.* fuit summè voluntarium 266. perpetrabatur ab iis, qui multa habebant, quæ ad servandum Dei mandatum impellerent 266. gravissimâ tandem pœnâ mulctatum fuit 267. argg. Bellarmini contraria refelluntur 267. seqq. magnitudo pœnæ insecutæ an & quomodo responderit illi delicto? 269
Propensio connata mala habitualis per meritum Christi in baptismo tollitur quoad reatum 226. verè & propriè peccatum est 219. id contra Quakeros demonstratur 227. propensio connata habitus peccandi propriè non dicitur 149. habitui tamen similis est *ibid.*
Protoplasti fuerunt peccati orig. ad posteros translati pro diverso respectu causa efficiens moralis & physica. 259. totius defectionis protoplastorum radix est voluntas 272
Providentia Dei non determinat peccatores ad peccandum R. 105
Ratio confusè tántùm cognoscit peccat. origin. 155 quousque se extendat hæc cognitio? 156
Reatus pœnæ quid? 62. reatus ex parte peccati spectatus, quamdiu manet peccatum, tamdiu non separatur ab eo 138
Reatus quis per baptismum tollatur? 138

Re-

Redimere quid? 286
Redemtio præservativa sensu pontificio accepta pessimum est commentum 286. nec redemtio dici debet ibid.
Reformati an statuant, Deum esse causam peccati? 92 seqq. Recentiores se id statuere negant *ibid.* adeo ut eos etiam excuset Jo. Fabricius 93. an hac in re conveniat cum Gerhardo? 106. sed tàm veteres, quàm recentiores id statuere probatur 94. seqq. phrases autem incommodas Reformati recentiores mutarunt 103

S.

Scandalum quotupliciter sumatur 330. quid personale? quid reale? ibid. 335. Quid datum? quid acceptum? ibid. seqq. Scandalum per se malum & scandalum per accidens malum 342. scandalum quoad doctrinam & quoad mores 342. &c. quid in praxi circa scandalum notandum 345
a *Singulari* ad universale quomodo valeat consequentia? 271. seq.
Superbiæ an fuerit protoplastorum peccatum primum? 271. seq.
Συντάρησις 50

T.

Tentare quotupliciter sumatur? 359
Tentatio seductionis ibid. seqq.

U.

Universaliste Reformati 103. 104
Contra *Voluntatem* DEI ordinatam multa fiunt contra Calvinianos 275, neque hac ratione omnipotentiæ divinæ aliquid detrahitur 276.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0401
DFG

Sphalmata Typographica, quæ ob Autoris absentiam irrepsére, sic corrigat Lector candidus:

Pag. 4. lin. 25. leg. *nos.* pag. 5. lin. 9. leg. norma. p. 8. l. 8. leg. *producta.* p. 9. l. 24. leg. *Theolog.* p. 10. l. 2. leg. *totum.* l. 28. post: und nehen add. *formale.* p. 11. l. 28. leg. *choro.* lin. ult. leg. *h. e.* p. 13. l. 5. leg. *statuit, duobus.* p. 14. l. 4. leg. ὄντος. lin. 26. leg. *absentiam.* p. 15. l. 20. leg. *Bechmanno.* l. 28. leg. *ut & in.* p. 23. l. 2 leg. Ἄνομον. lin. 10. 11. dele: *h. e. peccati concretivè formale.* l. 13. leg. *determinat.* p. 25. l. 10. leg. *talismodi.* p. 32. l. 20. leg. *Liber.* p. 34. l. 10. leg. *actus illi, qui.* p. 36. l. 15. leg. *comparatas.* p. 41. l. 5. leg. *lege.* p. 42. l. 6. leg. *nil.* p. 45. l. 15. leg. *Est autem.* p. 56. l. 22. leg. *potentia.* p. 57. l. 17. leg. *naturalia practica.* p. 60. l. 2. leg. *cujus.* p. 63. lin. ult. leg. *Illius.* p. 64. l. 8. leg. *peccatoris.* p. 65. l. 25. post: naturæ, dele comma. p. 71. l. 24. leg. τιμωρίας *voce.* p. 72. l. 12. leg. *Distinct.* l. 15. dele: *quod.* p. 73. lin. ult leg. *suum.* p. 74. l. 16. leg. *conjecta.* p. 75. l. 22. leg. *conformitatis.* p. 76. l. 5. leg. *h. e.* ἀνομίαν. p. 78. *l.* 14. leg. *sic.* p. 88. *l.* 7. post: *Dei* dele comma. p. 91. l. 16. *Godofredum* pro *Christophorum.* p. 97. l. 17. leg. *machinatus.* p. 100. l. 2. leg. *omnibus suis.* p. 101. l. 6. leg. *quod.* p. 111. *l.* 8. post: horridis, dele comma. p. 125. *l.* 14. leg. *denominationis.* l. 18 leg. *denominationis.* p. 126. l. 28. leg. *est in homine.* p. 138. l. 17. leg. *significare.* p. 159. l. 2. leg. עד l. 3. עד *p.* 165. l. 4. leg. *quin imo.* p. 168. l. 20. leg. quod MAGIS. *à* pag. 159. usque ad pag. 269. lin. 1. pro DE PECCATO IN GENERE hîc ponendus est titulus: DE PECCATO ORIGINIS. p. 254. l. 14. leg. liquet.) p. 260. *l.* 10. leg. *efficienter.* p. 270. l. 18. leg. *extra.* l. 20. leg. *intra.* p. 308. l. 13. leg. formaliter *non* esse. p. 343. *l.* 6. leg. κωλύματα p. 351. *l.* 27. leg. *operibus* p. 354. *l.* 15. leg. *duplicis* p. 358. l. 4. leg. ταραχαί.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0406
DFG

quentis ad oculum
aliena uxore, quem
s, est ipsum turpis-
rò concubitus ille
ffectus est propriè
dulterii, quà talis,
dictam. Excipient
urmii assectæ, con-
pse enim *Sturmius*
non esse positum in
hysicô, sed in actu
est, ejus voluntate
. Sed Resp. Actus
hysicus, de quô hîc
vitiositatem invol-
potest. Hîc enim
loquitur & expli-
rum corporeorum
voluit eo loco, eoque
eri vi legum cordi
lebuisset: Ast verò
ege aberrans, adeò-
catum.

æ, quarum aliquas
adversus *Sturmium*
n sensibilium effe-
verè proprieque
s externâ ac sensibi-
dorat: Nam Deum
propriéque agere.

Nec

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789147/phys_0407
DFG